non comparando, ſed affirmativè, ut ſi velim affirmare, me aliquid non feciſſe, dicam ſic, *melius mihi faciat Deus, quàm ita fecerim*, vel *meliùs me ſervet Deus*; vulgo, *Mejor lo haga Dios conmigo, ò mejor me guarde Dios que yo tal hize*. Et in hoc ſenſu ſunt juramentum. Quia contrariam execrationem claudunt. Sicut diximus *n.* 36. claudi, quando dicimus, *ſic Deus me adjuvet*.

41 Nec hæc verba, *habear, ne perfidus*, aut *hereticus*, aut *mendax*, aut *iniquus ſim ego*, vulgo, *Auin ſea yo, ſea tenido por hereje traidor, mentiroſo, ſi eſto no es aſſi*; non ſunt juramenta. Quia idem ſignificant, ac *æſtima me talem, ſi hoc non ita eſt*; & ita non efficiunt ſenſum execratorium. Sicut non eſſet juramentum dicere alicui, *interfice me, ſi hoc non fecerim*.

42 Tandem hæc verba, *occidar, amputentur mihi aures*; vulgo, *Que me maten, o me corten las orejas, ſi eſto no es aſſi*; in rigore juramentum execratorium præſeferunt. Sicut eſſet juramentum, *diris pugionis ictibus punctim confodiar*, aut *ſuſpenſus obeam, ſi hoc non eſt ita*. At ut communiter ea verba circumferuntur, non claudunt jusjurandum. Quia non dicuntur ea verba, quaſi id ſibi malum imprecando, ac invocando Deum, ut tamquam judex vindictam ſumat de dicente, ſi mendax ſit; ſed dicuntur inſtar cujuſdam ſponſionis. Et ita comuniter incipiunt hæc dicentes per hanc particulam Hiſpanam, *que*, cui Latinè correſpondet, *ſponſionem facio*. Quare perinde eſt, ac ſi diceret quis, *ſpondeo vitam, verbera*, &c. *Yo apueſto la vida que eſto es aſſi; o me dexarè cortar la cabeza, o azotar por juſticia, ſi eſto no aſſi*.

CAPUT III.

Qualiter ſit licitus jusjurandi uſos; & quæ circumſtantiæ jure poſitivo deſiderentur, tam ex parte perſonæ jurantis, quàm modi jurandi, ut juramentum in judicio licitè præſtetur?

SUMMARIUM.

Juramentum eſt de ſe licitum, & actus religionis, n. 1.
Eſt inſtar medicinæ, nec appetendum, n. 2.
Eſt aliquando in præcepto, n. 3.
An in judicio jurandum ſit à jejunio, & aliquibus temporibus interdicatur juramentum accipi? n. 4.
An perjurus nequeat in judicio jurare? n. 5.
Quid de impuberibus? Et an ſi jurent faciant fidem? Et quæ ætas requiratur ad teſtificandum? n. 6.
An ſacerdotibus interdictum ſit juramentum judiciale, & calumniæ? n. 7.
An poſſint clerici in manu laici judicialiter jurare? n. 8.
Sacerdotes jurantes an debeant ſacra tangere? Et qualiter jurare debeant? n. 9.

1 PRima concluſio ſit, Jurisjurandi actus non eſt generaliter, & ſimpliciter in Evangelio damnatus; ſed eſt ex ſe licitus, utpote, qui actus virtutis religionis eſt. Hæc eſt de fide, & eam contra aliquos hæreticos negantes, multis Scripturæ locis, ſanctorum teſtimoniis, & rationibus, probant; reſpondentque hæreticorum rationibus, ex Neotericis *Caſtro l.* 8. *contra hæreſes, verbo Juramentum, Azor. t.* 1. *lib.* 11. *inſtit. moralium c.* 2. *q.* 3. *Valentia* 2. 1. *diſput.* 6. *q.* 7. *puncto* 3. *ſtatim in principio*. Et latiùs omnibus explicans, qualiter ſit actus religionis, *Suarez t.* 2. *de religione, tractatu de juramento, lib.* 1. *c.* 4. *& c.* 7. *per tota*.

2 Secunda concluſio. Jusjurandum non eſt ſicut bonum quoddam per ſe appetendum, ſed eo in ſola neceſſitate uti licet. Hanc aſſerunt *D. Auguſtinus de ſermone Domini in monte, lib.* 1. *cap.* 30. & refertur, *c. Ita ergo* 22. *quæſt.* 1. *num.* 1. *& D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 89. *artic.* 5. Qui eam rationem reddit. Nam jusjurandum eſt tamquam quoddam imbecillitatis humanæ remedium, & ad fidem rei faciendam neceſſarium inſtrumentum. Quare habet ſe inſtar medicinæ, corporeis morbis ſubvenientis. Sicut ergo frequens medicamentorum uſus noxius eſſe ſolet, ac tantùm eſt proficuus neceſſitate exigente; ita frequens juris jurandi uſus pernicioſus eſt, & tantùm eſt ſalutaris, appetenduſque, quando gravis cauſa ſubeſt.

3 Tertia concluſio. Jusjurandum quandoque eſt in præcæpto; nimirum, publica poteſtate illud legitimè exigente; & quoties neceſſarium eſt, ad proximo ſubveniendum. Ratio prioris partis eſt, quia publica poteſtas fungitur auctoritate continendi in pace ſuos ſubditos, illorumque controverſias eo medio componendi. Poſterioris autem, quod lex charitatis obliget ad proſpiciendum neceſſitati proximi medio licito, & facili. Quare eſt juramentum. Et ita docent univerſi. Et latè *Suarez eo. tractatu de juramento lib.* 3. *toto c.* 1. Qui in fine benè concludit id præceptum non eſſe ex virtute religionis, ſed juſtitiæ, aut miſericordiæ.

4 Quarta concluſio. Triplex circumſtantia eſt jure poſitivo neceſſaria ad licitum juramenti in judiciali cauſarum foro præſtandi uſum. Prima eſt, ex parte modi jurandi, ut juraturus ſit jejunus: *Honeſtum* 22. *qu.* 5. *& c.* 1. *de teſtibus, & atteſtat.* Sed hæc eſt de ſolo conſilio, ut clarè ſignificatur *eo. c. Honeſtum*. Et docent *Gloſſa eo cap.* 1. *in fine, & ibi* Doctores *Azor. tom.* 1. *lib.* 11. *inſtitut. moralium capit.* 11. *quæſtione* 9. *Valentia* 2. 2. *diſputatione* 6. *quæſtione ſeptima, puncto* 3. *columm.* 5. *verſicul. Jam ex parte modi*, & univerſi. Secunda eſt, ex parte temporis, ut debito tempore juramentum præſtetur. Namque diebus feſtis id præſtare in judicio, niſi pro bono pacis, aut piæ cauſæ, interdicitur, *c. Conqueſtus de feriis*. De qua re latè dicemus in tractatu de obſervatione feſtorum. Nec licet etiam illud præſtare ab adventu Domini uſque in octavam Epiphaniæ; & in litaniis majoribus, & in rogationibus, & in jejuniis quatuor temporum; & à ſeptuageſima uſque in octavam paſchatis. Ut expreſsè habetur, *cap. Decrevit* 22. *quæſt.* 5. Sed hæc prohibitio abiit in deſuetudinem. Ut benè docent *Gloſſa ibi ſtatim in principio & Valentia* proximè allegatus. Ultima eſt ex parte perſonæ jurantis. Quibuſdam enim perſonis interdicitur jusjurandum in judicio præſtare; nempe, perjuris, impuberibus, & clericis.

5 In primis perjuri excluduntur à juramento in judicio præſtando, *c. Parvuli* 22. *quæſtione* 5. Quia ex quo ſemel pejerarunt, præſumitur fore, ut ſemper pejerent. Quidam hoc intelliguut de omnibus perjuris notoriis notorietate facti: etſi in judicio non convictis; ſi juramentum id notorium fuerit, quantum ad verba, deliberationem, & factum. Quia, nimirum, evidens eſt evidentia facti illum dixiſſe verba jurisjurandi, & benè deliberaſſe, & cognoviſſe ſe jurare falſum. Ita docent *Sylveſter verbo Juramentum* 2. *quæſt.* 3. *Valentia dicto* 3., *columna quarta, verſiculo Diſputat verò, Azor. tom.* 1. *liber.* 11. *inſtitut. moralium, capite* 11. *quæſt.* 6. At veriùs oportere ad hanc pœnam incurrendam, perjurium eſſe in judicio convictum, & damnatum. Quod ſuſtinent *Archid.* quem refert, & ſequitur *Sylveſter verbo. Perjurium, quæſt.* 5. *Tabiena verbo Jurare, quæſtione* 21. *Sotus lib.* 8. *de juſtit. quæſt.* 1. *artic.* 20. *columna* 2. *Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 89. *articul.* 10. *paulò poſt principium*. Et in hanc partem, licèt dubius, magis inclinat *D. Antonius* 2. *par. tit.* 10. *c.* 4. §. 2. Atque dum in *eo c. Parvuli* interdicitur perjurium etiam in ſua cauſa ad jurandum admitti; intelligitur de juramento purgationis, ita ut à ſuſpicione contra ſe orta nequeat ſe proprio juramento purgare. At juramenta, quæ ſunt potiùs oneris, quam honoris, benè præſtabit. Ut juramentum calumniæ, & domino in cauſa feudi.

6 Secundò interdicitur pueris ante pubertatem jurare in judicio *c. Parvuli, & c. Pueri* 22. *q.* 5. Cujus rationem aſſignat *D. Th.* 2. 2. *q.* 89. *a.* 10. Quia ante eam ætatem non eo pleno rationis uſu gaudent, ut debita cum reverentia jurare valeant. Sed dubium eſt, an ſi ſponte jurare velint, admittendi ſint. Nam *Sotus lib.* 8. *de juſtitia quæſt.* 1. *art.* 10. *paulò poſt principium*, ait cogendos non eſſe, admittendos tamen ſponte jurare volentes. Quòd prædicti textus eos cogi tantùm interdicant. At verius eſt nec eos eſſe admittendos. Quia ratio adducta id probat, & jus meritò præſumit eam ætatem non eſſe capacem juramenti, quod tanta maturitate præſtari oportet. Ut conſtat ex *c.* 1. 4. *qu.* 3. & ita docent *Sylv. verbo Juramentum* 2. *quæſt.* 3. *in initio, Valentia* 2. 2. *diſp.* 6. *qu.* 7. *puncto* 3. *columna* 4. *verſic. Item eſt hic*. Si tamen ad teſtificandum admittantur, etſi non faciant plenam fidem, faciunt tamen præſumptionem, *l. Inviti, ff. de teſtibus*. Atque in civilibus, ita habetur expreſsè *l. regia* 9. *tit.* 16. *p.* 3. Nam tamen eadem ætas ſufficit ad teſtificandum in civilibus, & in criminalibus. Nam in civilibus non admittitur minor quatuordecim annis *c.* 1. 4. *q.* 3. At in criminalibus non admittitur minor viginti annis. Ut conſtat ex *d. l. Inviti & d. l. regia* 9. Hoc tamen intelligitur, quo ad plenam probationem; non poteſt examinari impubes, & ejus dictum facit plenum indicium ad torturam. Ut allegato *Bartolo* docet *Sylv. verb. Impubes, in fine & verb. Teſtis q.* 1. 1. *dicto* 3.

7 Tertiò indicitur ſacerdotibus ex levi cauſa jurare in judicio, *cap. Si quis presbyter* 2. *qu.* 5. cujus rationem reddit *D. Thom. d. art.* 10. Quòd dictum hominis tunc confirmatione juramenti indigeat, quando de ejus veracitate dubitatur. Quod dubium dedecet ſacerdotum dignitatem. Et ideò pro levi cauſa interdicitur eis jurare in judicio. Addit autem *Divus Thomas* licere ſacerdotibus pro neceſſitate, vel magna utilitate jurare. Quod explicant *Divus Antoninus* 2. *part. titulo* 10. *capite* 4. §. 2. *Sylveſter verbo Juramentum* 2. *quæſtione* 3. *Tabiena verbo Jurare, quæſtione* 21. *Azor. tomo primo, libro* 11. *inſtitution. moralium capite* 11. *quæſt.* 6. ut liceat jurare, quando defectu probationis aliquis læditur, vel rem ſuam perdidit, vel pro fide, vel pro pace, obedientia, indemnitate Eccleſiæ; vel quoniam ipſi Sacerdotes ab infamiæ nota ſe purgare coguntur; vel dum ab excommunicatione abſolvendi ſunt. Quæ probantur ex *cap. Significaſti, de electione, cap. De Syracuſana, d.* 28. *cap. Ad reprimendam de officio ordinarii*. Tandem ſi in cauſa propria litigent, debent jurare de calumnia; ideſt, ſe bona fide, & non animo calumniandi cauſam movere, vel aliquid proponere, vel reſpondere, nec id in poſterum ſe facturum. Ita *Gloſſa c.* 1. *verbo Criminali, de juramento calumniæ, Sylveſter d. quæſtione* 3. *in fine, Azor. d. capite* 11. *in fine*. Addunt *Gloſſa, Azor.* ſi Sacerdos pro Eccleſiæ cauſa litiget, eum non compelli juramentum calumniæ præſtare, ſed poſſe in ſui locum aliquem ſubſtituere, qui pro eo petat, agat, & excipiat, ac juramentum calumniæ præſtet. Quòd ſi in perſona propria eam Eccleſiæ cauſam agat, tunc dicit *ibi Gloſſa* præſtandum ab ipſo hoc juramentum.

8 Quinta

8 Quinta concluſio. In triplici caſu nequeunt clerici in manu laici jurare abſque ſui Epiſcopi licentia. Primus eſt, quando jurant coram laico, tamquam ſuo ſuperiori, & ab ipſo coacti, *cap. Nullus* 22. *quæſt.* 5. ſecùs quando non tamquam ſuperiori; tunc enim poſſunt abſque licentia, *c. Ex reſcripto, & cap. Pervenit, de jurejurand.* Secundus eſt, quando jurant de calumnia. Non enim poſſunt hoc jusjurandum præſtare, niſi is, coram quo litigant, ſit ſuperior eorum, vel de licentia ſuperioris, *c. Nos* 22. *quæſt.* 7. Tertius eſt. Non poſſunt in actu teſtificandi jurare in manu laici, abſque ſui ſuperioris licentia, *c. Quamquam* 24. *quæſt.* 2. In reliquis verò caſibus poſſunt ſine ſui prælati licentia jurare in manu laici, *dict. c. Ex reſcripto, & d. c. Pervenit*. Ita *Abbas*, quem referunt, & ſequuntur *Angelus verb. Juramentum* 3. *num.* 3. *Sylv. verb. Juramentum* 2. *q.* 3. *Tab. verb. Jurare, quæſt.* 21. Eſt autem hoc temperandum quo ad Sacerdotes, ut liceat eis jurare, quando eſt cauſa gravis neceſſitatis, aut magnæ utilitatis. Juxta dicta *numer. præcedenti*. Ita *Sylv. ibidem*.

9 Ultima concluſio. Sacerdotes cum jusjurandum præſtant, non tenentur regulariter ſacra tangere; ſed ſat eſt, ſi per ſuam conſecrationem tangendo proprium pectus jurent; niſi in cauſis gravibus, & in quibus jure expreſſum eſt, ut Epiſcopi, & Sacerdotes ſacra tangant. Ita multis relatis *Covarr. de pactis* 1. *part.* §. 1. *numero tertio*. Et extra hos caſus debent loco alterius juramenti jurare per ſuam conſecrationem. Ut habetur *capit. Si quis presbyter* 2. *quæſtion.* 5.

CAPUT IV.

Quæ circumſtantiæ, ſeu comites juramenti deſiderentur jure divino naturali, ut id licitè præſtetur? Et qualis culpa ſit defectus horum comitum; & veritatis, tam in juramento aſſertorio, quàm in promiſſorio?

SUMMARIUM.

Jurisjurandi comites, ut licitè præſtetur, quot ſint? numero 1.
Veritas requiſita in juramento promiſſorio eſt duplex, numero 2.
An defectus juſtitiæ reperiatur quoque in juramento aſſertorio? numero 3.
Judicium ad juramenti honeſtatem requiſitum quid ſit? numero 4.
An omne juramentum deſtitutum aliquo ex tribus comitibus dicatur perjurium, & vanum, & ſit contra ſecundum præceptum? num. 5.
Juramentum aſſertorium falſum in quavis materia, & ratione cujuſvis neceſſitatis, & finis numquam excuſatur à mortali, num. 6.
Nec ratione joci excuſatur à mortali, num. 7.
Mortale eſt jurare rem certam ac dubiam, vel dubiam ac certam, num. 8.
An ſit juramentum falſum, quod per hyperbolem, aut aliam figuratam locutionem dicitur? num. 9.
Qualis certitudo veritatis exigitur ad jurandum? Et an in omni materia deſideretur æqualis certitudo, & diligentia ad ſcrutandam veritatem? num. 10.
Quæ certitudo in ſcholaſticis deſideretur, ut verè curſus ſcholaſticorum teſtentur? num. 11.
Quando quiſpiam verè ſuam opinionem jurare poſſit? nu. 12.
An ad rem jurandam ſat ſit eam à fide digno audiiſſe? numero 13.
An jurans falſum putans eſſe verum, peccet aliquando mortaliter? num. 14.
Quid, quando non advertit ſe jurare, aut non advertit rem eſſe falſam, numero 15.
Juramentum promiſſorium abſque implendi animo, eſt mortale numero 16.
Quid ſi animus implendi ſit dubius, nu. 17.
Quid de jurante rem impoſſibilem, aut quam credit ſe non poſſe implere? Et quæ potentia implendi certitudo deſideretur, numero 18.
Ad juramenti comminatorii hyperbolici veritatem, quid deſideretur, num. 19.
Quis animus implendi exigatur in juramentis prævenientium ſe honore, num. 20.
An juramentum promiſſorium, cui deficit veritas non implendi illud ſit in quavis materia mortale? Refertur duplex ſententia, num. 21. *&* 22.
Et ſententia Auctoris, num. 23.
An jurans rem levem quotidie faciendam, nec implens, peccet mortaliter? Et alia de hoc remiſſivè, nu. 24.
An juramentum addat vinculum aliquod ſupra ſimplicem promiſſionem, num. 25.
Juramentum, quo res mortalis promittitur, eſt mortale, nu. 26.
Quid, ſi tunc deſit intentio implendi? num. 27.
An juramentum rei venialis ſit veniale? num. 28.
An implere juramentum rei venialis, quia juramento ſtabilita eſt, ſit mortale? num. 29.
Juramentum rei contra conſilia, quale peccatum ſit, num. 30.
Quid de juramento rei indifferentis, nu. 31.
An pejus ſit jurare rem mortalem, aut venialem, aut contra conſilia, aut indifferentem, animo non implendi, quàm animo implendi? num. 32.
An juramentum aſſertorium materiæ mortalis, ſit mortale defectu juſtitiæ? numero 33.
An idem contingat in juramento de futuro emiſſo abſque implendi animo, num. 34.
Juramentum defectu judicii, qualis culpa ſit, num. 35.
An ſit neceſſe diſtinctè fateri juramentum cum mendacio, dubio, & abſque animo implendi dicta, num. 36.
An perjurium ſit gravius peccatum homicidio, & cæteris peccatis in proximum, num. 37.
An ſit gravius juramento per falſos Deos, num. 38.

1 COnſtans eſt omnium Doctorum ſententia cum *D. Tho.* 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 3. jure divino naturali tres circumſtantias, ſeu comites deſiderari ex parte modi jurandi, ut licitè præſtetur. Hæ ſunt veritas, juſtitia, & judicium. Quæ habentur *Jerem.* 4. *Jurabis vivit Dominus in juſtitia, in judicio, in veritate*. Et docet *ibi D. Hieron.* & refertur *c.* 2. 22. *qu.* 2. *& c. ultim.* 22. *quæſt.* 4. Et ratio eſt; nam ſi deeſt veritas, efficitur Deus, vel ignorans, vel improbus. Alterutrum enim falſitatis teſtem eſſe oportet. Et tunc dicitur juramentum falſum, ſive perjurium propriè loquendo. Si deeſt juſtitia, efficitur Deus cooperator illius mali, quod ipſius teſtimonio faciendum promittitur. Et tunc dicitur juramentum injuſtum, ſive iniquum. Si deeſt judicium, cedit in Dei irreverentiam, cum abſque juſta cauſa inducatur in teſtem. Quare ut juramentum ſit licitum, his tribus comitibus indiget.

2 Veritas in juramento aſſertorio in eo conſiſtit; ut jurans arbitretur eſſe verum id, quod jurejurando aſſerit. At in juramento promiſſorio duplex veritas exigitur. Altera de præſenti, nempe, ut adſit animus rei juramento promiſſæ implendæ; in qua convenit cum juramento aſſertorio. Altera verò de futuro, ut res promiſſa impleatur ſuo tempore. Quare inter aſſertionem ſimplicem, & juramentum id diſtat, quòd ad illius veritatem ſatis ſit affirmantem in animo habere, id implere, quod affirmat; nec erit mendax, ſi poſtea mutata voluntate id non impleat. Ut ſi quis affirmet ſe à prandio dormiturum, verax eſt, ſi tunc id in animo habuit, etſi poſtera non dormiat. Ad juramenti autem promiſſorii veritatem utraque veritas deſideratur. Atque ita docent *D. Thomas* 2. 2. *qu.* 89. *art.* 7. *ad* 1. *& ibi Cajetanus circa eam ſolutionem, Sotus libro octavo de juſt. qu.* 1. *art.* 7. *ad* 1. & omnes.

3. Juſtitia in eo conſiſtit, ut actus jurandi ſit juſtus, & rectus. Et de hoc comite dubium eſt, an reperiatur in juramento aſſertorio, an in ſolo promiſſorio. De qua re dicemus *num.* 33.

4. Judicium autem eſt diſcretio, & providentia quædam in omni juramento neceſſaria; ad quam tria pertinent. (Ut optimè docet *Sotus lib.* 8. *de juſtit. q.* 1. *art.* 3. *ad finem corporis*) Primum eſt, ut veritas juramento ſtabilienda nequeat alia via comprobari. Quippe patentiſſimas veritates juramento confirmare, vel ſpeculativa dubia, quæ rationibus muniri debent, temerarium eſt. Secundum eſt, ut ſubſit neceſſaria, aut pia jurandi cauſa. Tertium, ut præcedat veritatis maturum examen. Quibus poſſumus addere quartum, nempe, ut debita Divini Nominis in teſtem adducti reverentia juretur.

5. Quamvis autem ſimpliciter, & propriè loquendo, perjurium dicatur id ſolum juramentum, cui deeſt veritas; utpote quod proprio juramenti fini adverſatur, qui eſt veritatem confirmare. At quodvis juramentum juſtitia, aut judicio deſtitutum, eſt quodammodo perjurium. Nam cum deficit juſtitia, tenetur jurans efficere falſum id, quod juramento promittit, non implendo illud, ſi quid illicitum juravit, aut non tenetur id efficere verum, ſi juravit rem contra conſilium. Si autem deſit judicium, eſt falſitas in potentia. Quòd ſic jurans in pejerandi periculo verſetur. Atque ita intelligitur *D. Hieron. num.* 1. alleg. vocans hæc omnia perjuria. Et ita docet *D. Thom.* ab omnibus receptus 2. 2. *quæſt.* 98. *art.* 1. *corpore, & ad* 1. Similiter juramentum veritate deſtitutum dicitur ſimpliciter vanum, deſtitutum verò juſtitia, vel judicio, ſecundùm quid vanum. Ratio eſt, quia vanum dicitur, quod ſuo fine fruſtratur. Quare cum juramenti finis ſit verum teſtari; primò dicitur vanum, cui deeſt veritas. Et cum etiam jurandi facultas in eum finem conceſſa ſit, ut juſtitia ſervetur; juramentum quoque, cui juſtitia deficit, dicitur vanum. Et quia etiam juramentum judicio vacans caret cauſa jurandi, ſcilicet, neceſſitate, dicitur vanum. Ita *Sotus lib.* 8. *de juſtit. quæſt.* 1. *art.* 3. *& quæſt.* 2. *art.* 1. *ad finem*. Quam ob rem omne juramentum, cui deficit aliquis ex his tribus comitibus interdicitur ſecundo Decalogi præcepto: utpote quod eſt aliquo modo perjurium, & vanum. Sed per ſe primò juramentum falſum, quod propriè, & ſimpliciter perjurium, & vanum eſt. Ita *Sotus eodem lib.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 1. *&* 2.

6 His præmiſſis difficultas eſt, quale peccatum ſit juramentum, cui aliquis ex his tribus comitibus deficit? Sit prima concluſio, Jusjurandum aſſertorium veritate deſtitutum

tum

tum in quacumque materia, quantumvis levi eſt ſemper mortale. Solumque à mortali excuſari poteſt defectu plenæ deliberationis. Quia Deum afferre in teſtem mendacem, eſt graviſſima injuria abſtrahendo à quacumque materia. Ut probat ratio *numero* 1. adducta. Atque ita docent, *Cajetanus in ſumma, verbo Perjurium, capite* 1. *verſic. Inchoando igitur, Sotus lib.* 8. *de juſtitia, quæſtione* 2. *art.* 3. *concluſ.* 2. *Toledo lib.* 4. *ſumma cap.* 21. *numer.* 8. *Covarruvias* 1. *variar. c.* 1. *num.* 2. *& de pactis* 1. *part.* §. 1. *num.* 4. *Suarez tomo* 2. *de religione, ubi de jurament. lib.* 3. *c.* 4. *num.* 2. *Sayro in clavi regia lib.* 5. *cap.* 4. *nu.* 13. *&* 16. *Azor. tomo* 1. *lib.* 11. *inſtit. moral. cap.* 4. *qu.* 1. *Valentia* 2. 2. *diſp.* 6. *qu.* 7. *puncto* 3. *column.* 6. *concl.* 1. & omnes. Nec excuſat à mortali quicumque finis, quantumvis ſanctus, ac neceſſarius ſit, & quicumque timor. Ut optimè docent *Cajetanus, Suarez numer.* 6. *Sayro, Sotus, Toledo ibid. Navarr. ſumma cap.* 12. *Hiſpanè num.* 5. *Latinè numero* 6. Quia mentiri eſt ita intrinſecè malum, ut numquam honeſtari valeat; ac proinde, nec juramento confirmatum poteſt quacumque ex cauſa excuſari à mortali.

7 Hinc ſit minùs benè aliquos juriſperitos, quos refert *Angelus verbo Perjurium in initio*, dicens eorum ſententiam eſſe probabilem, ſed contrariam tutiorem, aſſerere juramentum falſum cauſa joci dictum excuſari à mortali. At veriſſima ſententia eſt eſſe peccatum mortale, imò quo ad aliquid gravius, quàm ſi ſeriò diceretur. Quia plus Divini Nominis honori derogatur aſſumpto eo in falſitatis teſtem nulla cauſa ducente, ſed ſolo joco, magiſque id juramentum eſt vanum. Quod optimè docent *D. Thomas* 2. 2. *qu.* 98. *art.* 3. *ad* 2. *Sylveſter verbo Perjurium, num. primo, & verbo Juramentum* 6. *qu.* 6. *Covar. de pactis* 1. *parte* §. 6. *num.* 5. & omnes, *Sayro* relatus *num. præcedenti, Suar. eodem cap.* 4. *num.* 5.

6 Atque idem prorſus dicendum eſt, ſi quis rem ſibi dubiam ac certam juret. Quòd perjurii periculo exponatur; imò re vera falſum jurat. Quia mentitur aſſerens tamquam certam rem, de qua eſt dubius. Secùs ſi rem illam aſſerat tamquam dubiam. Ut dicendo *ſuſpicor ita eſſe*, vel *credo ita eſſe*; Quia tunc verum jurat. Quod inter alios ſpecialiter docent *Angelus verbo Perjurium num.* 3. *& ibi Sylveſt. quæſt.* 1. *Suarez eodem lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 7. *Sayro eodem lib.* 5. *in cap.* 4. *num.* 7. *Navar. ſumma cap.* 12. *num.* 7. Atque idem credo, ſi rem ſibi certam juraret, ac dubiam. Ut dicens, *ſuſpicor*, aut *credo ita eſſe*. Quia ſicut re vera mentitur dicens dubium, ac certum, ita è contra dicens certum, ac dubium. Sicut reus eſſet mortalis mendacii fatens peccatum mortale, quod certò ſe admiſiſſe novit, ac dubium. Quod tamen intellige, quando jurans id conſultò efficeret. Namque ſæpè ſcrupulis conſcientiæ perſonæ agitatæ hac loquendi formula utuntur gratia cavendi mendacii; quaſi ſcrupulo coactæ ad timendum, ne fortè non ita certæ ſint de ea veritate, quam proferunt. Quas à peccato excuſari conſtat.

9 Nec eſt juramentum falſum, quod per hyperbolem, aliamve figuratam locutionem juratur, etſi, ut ſonat, verum non ſit. Quod de figurata locutione teſtantur *D. Auguſtinus lib.* 2. *de quæſt. Evangel. cap.* 52. *& Divus Thom.* 2. 2. *qu.* 111. *art.* 1. *ad* 1. & ſpecialiter de hyperbolica *Navar. libr.* 5. *conſil. in* 1. *editione titulo de hæret. conſil.* 41. *num.* 1. & conſtat, quia ſacra Scriptura utitur hac loquendi formula. Ut 2. *Regum cap.* 1. *Jonathas, & Saul aquilis velociores, & leonibus fortiores*. Et multis aliis in locis. Quia non eum ſenſum efficit ea locutio, quem ſonant verba; ſed eſt quædam exaggeratio. Quare ne id juramentum veritate deſtituatur, debet jurans ita rem cum ea exaggeratione æſtimare. Ut jurans calamum tanti æſtimari, quanti equum, verax erit, quando calamum illum valde bonum eſſe exiſtimat. Quippe id ſolùm ea exaggeratio ſignificat.

10 Ad veritatem autem hujus juramenti aſſertorii exigitur, & ſatis eſt, ut jurans ita rem ſe habere arbitretur prudenter, & non levi conjectura ductus, ſed certa, aut veriſimili, atque probabili, ac proinde ſecundùm judicium jurantis conſentaneum rationi, ſive id à parte rei verum, ſive falſum ſit. Quia hoc eſt moraliter certum eſſe. Et dicemus in ſimili *num.* 18. Ita docent *Azor. tomo* 1. *lib.* 11. *inſtit. moral. cap.* 2. *quæſt.* 5. *Valentia* 2. 2. *diſput.* 6. *q.* 7. *puncto* 3. *column.* 5. *verſic. Veritas enim requiſita, Suarez eodem lib.* 3. *capite* 5. *num.* 3. *Leonardus libro* 2. *de juſtitia capite* 42. *dubio* 4. *numero* 17. Atque *idem Valentia eodem puncto* 3. *col.* 12. *verſicul. Duo tamen*, optimè ait jurantem non excuſari à perjurio, ſi leviter, ac temerè putet eſſe verum, quod jurat, ſive in re contingat eſſe verum, ſive falſum. Quandoquidem non ſufficienter providet, ut verum ſit, & per accidens tale eſſe cintingit. Nec tamen æqualis diligentia in omni materia ad perſcrutandam rei juratæ veritatem exigitur; ſed rei jurandæ conditio ſpectanda eſt. Multò enim major in rebus egregiis, & arduis deſideratur, quàm in rebus minoris momenti. Imò aliquando poteſt res eſſe tam pervia, & clara, ut ſine ulla diſcuſſione poſſit juramento aſeri. Ita docent *Sotus lib.* 8. *de juſtit. q.* 2. *art.* 3. *concl.* 6. *paulò poſt principium, Aragon.* 2. 2. *q.* 89. *articul.* 3. *fol.* 1065. *col.* 1. *Sayro in clavi regia, lib.* 5. *cap.* 4. *numero* 33.

11 Hinc deducitur, ut verè jurent ſcholaſtici deponentes aliquem ſcholaſticum ad ſcholas confluxiſſe tempore requiſito, juxta univerſitatis ſtatuta ad curſum conficiendum, nempe, ſex menſibus, & una die, ſatis eſſe, ut deponentes viderint eum eo toto tempore communiter ſcholas adeuntem, & rationabiliter id credant. Quia hæc eſt certitudo moralis, & alia mathematica eſt moraliter impoſſibilis. Et Conſtitutio petens juramentum eſt de hac morali certitudine intelligenda. Et conſtabit ampliùs ex dicendis *num.* 13. At opus eſt ad hujus juramenti veritatem, ut mathematicè totum id tempus expletum ſit. Quia id univerſitatis Conſtitutiones petunt, ut reputetur integer unius anni curſus.

12 Secundò deducitur, quamvis temerarium ſit in ſpeculabilibus opinionem ſuam juramento confirmare, cum ſolis rationibus, & auctoritate confirmanda ſit; minimè tamen perjurum fore illam jurantem, ſi ei munitus rationibus, & auctoritate adhæreat. Quia jurat, quod moraliter credit eſſe verum, duciturque rationibus ſufficientibus juxta materiæ qualitatem ad id credendum. At eſſet perjurus, ſi rationibus ſufficientibus deſtitutus eam juraret. Quia deficit veritas, quam *num.* 10. deſiderari probavimus. Et ita jurantem hoc poſteriori modo affirmando ſuam opinionem, eſſe perjurum, ſecùs ſi juraret ſub dubio dicens ſe ita credere, tenet *Suarez eodem lib.* 3. *c.* 4. *num.* 7.

13 Tertiò deducitur, ad veritatem juramenti ſatis eſſe, jurantem audiviſſe rem illam à perſona ita fide digna, ut ſit moraliter certus, ita rem ſe habere. At in judicialibus id non ſatis erit ad rem, tamquam certam jurandam, niſi adjungatur cauſa illius notitiæ. Ut *ſcio hoc, quia audivi à perſona fide digna*. Quia in eo judicio teſtis ſolo auditu rem ſciens non ſemiplenè probat; & eſt conditio diminuens teſtimonii fidem. Et qui in eo foro jurat ſe aliquid ſcire, teſtatur ſe notitia viſus, & præſentiæ, id ſcire, ita ut ejus dicto ſit integra fides habenda tamquam ſemiplenæ probationi. Nam *cap. Teſtes* 3. *quæſtione* 9. jubet Calixtus Papa teſtes de his ſolis, quæ in eorum præſentia geſta ſunt, teſtificari. Atque ita in judicialibus exigi ad juramenti veritatem, omnimodam certitudinem, niſi quando ex lege, aut conſuetudine intelligitur id juramentum de credulitate, eo quòd nequeat plena certitudo haberi; ut quàndo accipitur à judice juramentum de idoneitate alicujus perſonæ, tradunt *Scotus* 3. *diſt.* 39. *quæſt. unica, art.* 2. *& ibi Gabriel quæſt.* 2. *art.* 2. *concluſ.* 3. *& Sayro eodem l.* 2. *c.* 4. *num.* 18.

14 Secunda concluſio. Jurans rem falſam, quam præmiſſa debita diligentia veram putavit, vacat culpa. Quia juxta ſuam mentem verum dicit, & ſolùm eſt materiale mendacium. Si verò non adhibuit debitam diligentiam, erit mortale, vel veniale, pro ratione negligentiæ in veritate inquirenda. Si ea fuit magna, & notabilis, erit mortale; ſi autem parva, erit veniale. Ut ſi aliquam diligentiam, non tamen ſufficientem adhibuit. Quia quando quis eſt notabiliter negligens, cenſetur perfecta falſi jurandi voluntas; quando verò leviter, cenſetur ea voluntas imperfecta. Cum enim tota voluntarii indirectè, & culpæ ratio ex negligentia proficiſcatur; eatenus eſt perfectè, aut imperfectè voluntarium, quatenus eſt perfecta, aut imperfecta negligentia. Sic *Abul. c.* 5. *Matth. quæſt.* 301. *Angel. verbo Perjurium, in initio, & ibi Sylv. quæſt.* 1. *& verbo Juramentum* 2. *quæſt.* 6. *&* 8. *Sotus lib.* 8. *de juſtit. q.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 6. *Navarrus ſumma cap.* 12. *Hiſpanè num.* 6. *Latinè num.* 7. *Suarez eodem l.* 3. *c.* 5. *in fine, Leonardus eodem c.* 42. *dubio* 3. *num.* 17. *Sayro eodem c.* 4. *numero* 16. 18. *&* 33. *Valentia* 2. 2. *diſputatione* 6. *quæſtione* 7. *puncto* 3. *columna* 12. Nec ſic notabiliter negligens culpa hac mortali liberabitur, eò quòd contingat, id, quod juravit, eſſe verum. Quippe ex parte ſua pejerandi periculo ſe expoſuit, & per accidens contigit eſſe verum. Sic *Valentia ibi*. Hæc autem intelligentia penſanda eſt attenta rei juratæ dignitate, Ut *nu.* 10. diximus.

15 Tertia concluſio. Perjurium poteſt à mortali excuſari ex perfectæ deliberationis defectu. Ut ſi quis ex lapſu linguæ juret id, cujus veritatem non ſufficienter diſcuſſit, aut non advertens id, quod juravit eſſe falſum. Atque ita docent *D. Thom.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 3. *ad* 2. *& ibi Cajetanus in fine, Sylveſter verbo Juramentum* 2. *quæſt.* 6. *verſic.* 2. *Navarr. & Valentia*, & alii *num. præcedenti* allegati, & omnes. Quippe omnes ad perjurium mortale petunt, ut quiſpiam, & ſe jurare, & id eſſe falſum, ejuſve veritatem non ſufficienter eſſe diſcuſſam advertat. Quia abſque ea advertentia jurare, aut non eſt actus humanus, aut eſt imperfectè talis. Quando autem id provenit ex prava jurandi conſuetudine, dicemus *c. ſequenti*. Quamvis autem dum initio jurare cœpit, non plenè advertit, ſic in ipſo juramenti decurſu advertat eſſe mendacium, & cum advertit, non ceſſat, eſt mortale. Quia tum conſultò rem falſam jurat. Et ita videtur tenere *Sylveſter*, proximè allegatus, ait enim peccare mortaliter jurantem ex ira, ſi advertens eſſe falſum proſequitur.

16 Quarta concluſio. Juramentum promiſſorium eſt ſemper mortale ex defectu veritatis de præſenti, eò quòd non concordat vox externa cum interiori exequendæ rei promiſſæ animo; ideſt, quoties jurans non habet animum ſervandæ rei promiſſæ, ſive licita, ſive illicita, ſive magna, ſive parva ſit; & ob quamcumque cauſam deficiat animus ille. Ratio eſt, quod hac veritate deficiente ſit verè, & perfectè mendacium. Cum jurans contra mentem eat, affirmans ſe facturum, quod facere minimè putat. Hæc eſt certiſſima, & illam affirmant *Sylveſter verbo Perjurium, qu.* 1. *& ibi Armilla num.* 3. *Cajetanus* 2. 2. *qu.* 89. *art.* 7. *circa ſolutionem ad* 1. *& qu.* 98. *art.* 2. *&* 3. *& in ſumma, verbo Perjurium, c.* 2. *in initio, & cap.* 3. *in initio, Sotus libro* 8. *de juſtit. q.* 1. *art.* 7. *& q.* 2. *art.* 1. *&* 3. *Navar. ſumma c.* 12. *Hiſpanè num.* 12. *Latinè nu.* 13. *Valentia* 2. 2. *diſp.* 6. *qu.* 7. *puncto* 3. *concluſ.* 2. *Azor. tomo* 1. *lib.* 11. *inſtit. moral. c.* 4. *q.* 1. *Suar. eod. lib.* 3. *c.* 15. *n.* 2. *Sayro eodem lib.* 5. *cap.* 4. *nu.* 27. *Leonardus lib.* 2. *de juſt. cap.* 42. *dubio* 4. *num.* 18.

17 Hinc deducitur primò, ſimiliter eſſe mortale jurare rem animo dubio implendæ rei promiſſæ. Quia deficit ſimiliter certa veritas. Sicut contingit, cum quis juramento aſſertorio affirmat rem dubiam. Et ita fatentur omnes. Quare optimè *Sotus lib.* 8. *de juſt. q.* 1. *art.* 7. *in ſolutione ad* 1. ait exigi ad hujus juramenti veritatem, ut adſit animus firmus, & certus implendæ rei promiſſæ.

18 Secundò deducitur, peccare mortaliter, qui juramento aliquid promiſit, credens fore, ut implere nequeat. Quia deficit veritas, cum non ſit firmus implendi animus. Ita *Hoſt.* quem refert, & ſequitur *Angelus verbo Juramentum* 5. *num.* 31. *Sylveſter verbo Juramentum* 4. *q.* 18. *&* 25. *Abulenſis cap.* 5. *Matth. qu.* 307. *Navar. ſumma Latina, & Hiſpana c.* 12. *num.* 22. *Philiarcus de officio ſacerdotis, tomo* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 13. *in fine, Suar. tomo* 2. *de religione tractatu de juramento, lib.* 3. *cap.* 18. *in fine, Azor. tomo* 1. *lib.* 11. *inſtit. moral. cap.* 5. *qu.* 1. Similiter eſt mortale, ſi non habebat probabilem credendi cauſam fore, ut poſſet implere; ſed leviter id credidit; ſecùs quando eam probabilem credendi cauſam habuit. Quia hanc certitudinem in juramento aſſertorio deſiderari diximus *nu.* 10. Et ita docent *Hoſtienſis, Abulenſis, Angelus, & Sylveſt. Suar. ibidem*. Et à fortiori erit mortale, quando dubitat, an poſſit, & debeat facere, quod jurejurando confirmat. *Sylveſt. verbo Perjurium, quæſt.* 1. *in fine*. Quare minùs benè *Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 3. *folio* 1062. *in quarto dicto*, ait juramentum rei impoſſibilis eſſe veniale; quem etiam ſecutus eſt *Sayro eodem lib.* 5. *cap.* 4. *in fine*.

19 Sicut autem *num.* 9. diximus juramenti hyperbolici aſſertorii veritatem non eſſe penſandam juxta ſonum verborum, ſed juxta ſenſum hyperbolicum: ita juramentum promiſſorium hyperbolicum non eſt mendax, quamvis juxta externum verborum ſonum non ſit animus illud implendi; ſi re vera adſit animus implendi juxta ſenſum hyperbolicum. V. g. jurat quis alicui fore, ut ipſum auri ſtatera pendat, ſi aliquid benè exequatur, vulgo, *hazed eſto bien, que yo os peſaré a oro*; ſufficit ad veritatem adeſſe animum ſatis ſuperque ſolvendi. Id enim exaggeratio illa hyperbolica ſignificat. At eſſe mendacium, ſi deeſſet animus copioſæ ſolutionis. Similiter minatur, quis filio, famulo, aut ſervo, fore ut ipſum interimat, ipſive oſſa confringat; ſatis eſt, & requiritur ad hujus juramenti veritatem, ut jurans animum habeat graviter puniendi. Qui eſt ſenſus illius hyperboles.

20 Similiter juramenta prævenientium ſe honore, jurantiumque non priùs altero ſe per januam egreſſuros, & alia ſimilia, ut vera ſint, non neceſſe eſt habere firmum, ac immobilem ea implendi animum, ſed conformem ſenſui, quem faciunt hæc verba, nempe, *quòd ad me attinet*, vel *quantum eſt in me, non priùs egrediar*. Quippe hinc eſſe legitimum horum verborum intellectum dicemus *cap.* 9. *numero* 15.

21 Major autem difficultas eſt, quando juramento promiſſorio ſola veritas de futuro deficit, quia nimirum adfuit animus adimplendi tempore juramenti emiſſi, at poſtea res promiſſa non impletur. Et quidem quando illa materia eſt gravis, & de ſe ſufficiens ad mortale, fatentur omnes eſſe mortale. At diſcordant, quando materia eſt levis. Triplex eſt ſententia. Prima ait eſſe lethale, quæcumque ſit materia promiſſionis, ſive magna, ſive parva, ſive illa parva ſit totalis, ſive partialis materia juramenti promiſſorii. Ratio hujus eſt, quia huic juramento deficit veritas quantumcumque parva materia partialis non impleatur. Nam (ut *num.* 2. diximus) juramentum verum promiſſorium duplicem veritatem exigit, alteram de præſenti, alteram verò de futuro. Sicut ergo quicumque defectus in veritate de præſenti conſtituit culpam mortalem. Ut ſi quis juret daturum ſe mille nummos habens animum non integrè dandi, ſed in modica quantitate deficiendi lethaliter delinquere. Sic culpa lethalis erit quicumque defectus in veritate de futuro, etſi in re modica ſit. Et confirmatur, quia ideò juramentum aſſertorium, aut promiſſorium, cui deficit veritas de præſenti, eſt lethale in quavis materia, quia Deus ut teſtis falſus adducitur. At ſimiliter, quando deficit plena de futuro veritas, jurans eſt cauſa, quantum eſt in ſe, ut Deus ſit teſtis falſus. Quia Deus in juramento promiſſorio non ſolùm adducitur, ut teſtis veritatis præſentis, nempe, animi exequendi, ſed etiam veritatis futuræ, ideſt, ipſiuſmet executionis futuræ. Quod inde conſtat, quia aliàs juramentum promiſſorium, ut ſic, non eſſet verè, & propriè juramentum. Cum non adducatur Deus in teſtem futuræ promiſſionis. Quod eſt de juramenti ratione. Hanc ſententiam tenet, & latiſſimè probat *Valentia ſecunda ſecundæ, diſputatione ſexta, quæſtione* 7. *puncto* 3. *concluſione* 3. cui favet *Gabriel* 3. *dicto* 39. *quæſtione* 2. *art.* 2. *concluſ.* 4. *& Cajetanus in ſumma, verbo Perjurium, cap.* 2. ubi abſolutè docent eſſe mortale non adimplere promiſſionem jurejurando firmatam. Eamdem expreſsè tenet *Leonardus libro* 2. *de juſt. cap.* 42. *dubio* 5. *num.* 23. & limit. *num.* 24. niſi credatur fore, ut alter facilè condonet rem parvam ſibi juramento promiſſam.

22 Secunda ſententia diſtinguit ſic. Si exigua illa materia omiſſa ſit partialis; erit veniale; ut ſi quis jurans ſe daturum centum aureos, omittat dare aſſem. Secùs ſi materia omiſſa ſit totalis. Ut ſi quis juramento aſſem promittat, reus erit culpæ lethalis, non dando. Quia in priori caſu non violatur omnino juramenti fides, ſed in re minima; ſecùs in poſteriori. Et ideò hanc docent *Cajetanus ſecunda ſecundæ, quæſtione octuageſima ſeptima, artic. ſeptimo, dubio primo, Navarrus ſumma Hiſpana capite duodecimo, numero* 10. *& cap.* 18. *num.* 4. *Covarr. lib.* 1. *variarum lect. cap.* 1. *num.* 2. *verſic.* 2. *ad finem, Philiarcus de officio ſacerdotis, tomo* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 3. & hanc appellat tutiorem *Corduba ſumma quæſtione centeſima octuageſima octava*. Atque juramentum promiſſorium jure etiam levi obligare ad mortale tenent etiam *Tabiena verbo jurare, quæſt.* 10. *numer.* 11. *Armilla verbo Juramentum, num.* 12. *Pedraza ſumma, præcepto* 2. §. 5. Et expreſsè tenet eamdem *Sayro in clavi regia libro* 5. *capitulo* 4. *à num.* 18. *uſque ad* 31.

23 Tertia ſententia (cui tamquam probabiliori accedo) ait ſolam eſſe culpam venialem, etſi materia illa exigua ſit totalis. Ad cujus probationem præmittendum eſt, non eſſe verè, & propriè mendacium, non implere promiſſionem recta implendi intentione factam, ſed eſſe infidelitatem. Ut expreſsè docet *D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 2. *ad* 5. ibi: *Qui aliquid promittit, ſi habet animum faciendi, quod promittit non mentitur. Quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Si verò non faciat, quod promittit, tunc videtur infideliter agere, per hoc, quòd animum mutat*. Et id etiam conſtat: nam mentiri eſt intrinſecè malum ita ut numquam liceat; at non implere id promiſſum ſæpè licet. Inſuper, quia etſi non implens promiſſionem poſſit dici cauſa, ut poſtea reddatur falſa ea promiſſio, eò quòd infideliter agat non implens, & ideò à veritatis perfectione aliquo modo deviat; at verè non mentitur. Probatur ergo hæc ſententia. Quia non implens eam promiſſionem juramento firmatam, & factam animo implendi non mentitur, & proinde non affert Deum tamquam mendacii teſtem, ſed eſt infidelis in re promiſſa ſub divina auctoritate. Ergo longè diverſa eſt ratio veritatis primariæ petitæ in juramento promiſſorio, nempe, ut tunc adſit intentio implendi, cujus defectus eſt mendacium, & afferre Deum, tamquam teſtem mendacii, & veritatis ſecundariæ, nempe, ut promiſſio impleatur, cujus defectus eſt ſola infidelitas, & ita licèt in defectu prioris veritatis, nequeat dari parvitas materiæ, poterit utique dari in defectu poſterioris. Et confirmatur, quia dum homo affertur, tamquam teſtis promiſſionis, inducitur ſolùm, ut atteſtetur de contractu præſenti, & obligatione inde orta; at reſpectu executionis futuræ non adducitur in teſtem, ſed ut præſtet auctoritatem per modum cujuſdam fidejuſſionis. Ergo quando non impletur, non adducitur Deus tamquam teſtis mendacii. Tandem, quia non utramque veritatem eſſe eodem modo ſpectandam, inde conſtat. Nam in quavis materia, quantumvis mala, eſt mortale deeſſe primariam juramenti veritatem. (Ut diximus *num.* 16.) At quando materia eſt mala etiam venialiter, nulla eſt culpa defectus poſterioris veritatis. Ergo hæc veritas non eſt independenter à materia promiſſa ſpectanda, ſicut in priori contingit; ſed ſicut quando materia eſt mala, nullum eſt peccatum, ita erit ſolùm veniale, quando materia eſt licita, ſed levis. Et ideò hanc ſuſtinent *D. Anton.* 2. *part. tomo* 10. *c.* 4. §. 1. *Angelus verb. Juramentum* 5. *num.* 41. *Sylv. verb. Juramentum* 4. *quæſt.* 1. *in fine, Sotus l.* 8. *de juſtit. quæſt.* 1. *art.* 7. *dubio* 1. *Navarr.* mutans ſententiam *in ſumm. Latina c.* 12. *num.* 10. *& c.* 18. *num.* 7. *Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 3. *folio* 1061. *Azor. tom.* 1. *inſtit. moralium, lib.* 5. *c.* 27. *q.* 2. *verſ. Animadvertendum igitur eſt, in fine, & lib.* 11. *c.* 5. *qu.* 3. *Enriquez lib.* 5. *de pœnitentia c.* 20. *nu.* 4. *in commento, litera M. Manuel.* 1. *tomo ſummæ in* 2. *editione, c.* 192. *n.* 5. *Petrus de Ledeſma* 2. *tomo ſummæ, tractatu* 11. *c.* 3. *dubio* 1. *Emmanuel Sà ſumma verbo Juramentum, n.* 7. *Suar. tom.* 2. *de religione, ubi de jurament. lib.* 3. *c.* 16. *à nu.* 9. *uſque in finem*. Et dicunt eſſe ſatis probabilem *Alcozer ſumma c.* 15. *folio* 52. *& Corduba ſumma q.* 188. *in fine*.

24 An verò jurans rem exiguam quotidie faciendam, & numquam implet, peccet mortaliter diximus *lib.* 1. *c.* 4. *à nu.* 10. Et alia multa ad hoc ſpectantia dicemus *libro ſequenti*, in ſimili quæſtione de voto rei modicæ.

25 Hinc deducitur minùs veram eſſe ſententiam aliquorum juriſperitorum, quos refert, ac improbat *Sarmiento libro* 1. *ſelectarum cap.* 3. *num.* 4. *&* 5. dicentium nullam obligationem ſuperaddere juramentum ſimplici promiſſioni; nec conſtringi plus fidem ſervare, qui illam juramento ſtabilivit.

26 Quinta concluſio. Quando deeſt juramento promiſſorio ſecundus comes, qui eſt juſtitia, ſpectanda eſt, qualitas rei promiſſæ ad diſcernendam juramenti culpam. Si enim res promiſſa eſt lethalis, erit juramentum lethale contra religionem ex juſtitiæ defectu. Ut ſi quis ſe fornicaturum juret, eſt peccatum lethale juramenti malè præſtiti contra ſecundum Decalogi præceptum, præter peccatum mortale propoſiti fornicandi. Ratio eſt, qui cum ſic jurans teneatur ſub mortali efficere contrarium, perinde eſt, ac ſi falſum juraſſet. Deinde, quia magna Deo irrogatur injuria

juria aſſerendo Deum in teſtem faciendi aliquid contrarium ejus legi. Sic docent *Scotus 3. d. 39. qu. unica, art. 3. Sylveſt. verbo Juramentum 1. q. 1. partic. 6. & Juramentum 2. q. 7. Cajet. 2. 2. quæſt. 98. art. 2. paulo poſt principium, & in ſumma, verbo Perjurium, c. 2. Sotus lib. 8. de juſt. qu. 2. art. 3. concluſione 3. Navarr. ſumm. c. 12. num. 13. Covarr. de pactis 1. parte §. 6. num. 6. Valentia 2. 2. diſp. 6. quæſt. 7. punct. 3. col. 11. Azor. tomo 1. l. 11. inſtitut. cap. 5. quæſt. 1. Sayro in clavi regia l. 5. c. 4. num. 35. Leonard. l. 2. de juſt. cap. 42. dub. 4. num. 18. Suarez* latè hujus rationem diſcutiens *eo l. 3. cap. 19. à num. 9.* & omnes.

27 Hinc deducitur eſſe tunc culpam mortalem, ſive adſit animus implendæ rei illius juramento promiſſæ, ſive non. Quippe in priori caſu eſt culpa mortalis ob rationem *numero præcedenti* dictam. In poſteriori autem, quia eſt juramentum mendax; juxta dicta *num. 16.* Et ita docent *Sotus, Cajet. eo art. 2. Navarr. Azor. num. præced.* allegati. Subdit *Navar.* quando adeſt animus exequendi, eſſe tunc duplex lethale, juxta dicta *num. præced.* Quando autem deeſt animus, eſſe unicum mortale perjurium. (Sed an in hoc ſit aliquando duplex lethale, dicemus, *num. 34.*) Et idem docet *Suarez eod. cap. 19. num. 13.* Quare non placet, quod dicit *Suar. eod. tract. de juram. lib. 1. cap. 14. num. 5.* nempe, quando eſt minùs malum perjurium, quàm mortale juramento promiſſum, tenere habere animum non implendi; ſed non placet. Quia ſemper eſt majus peccatum habere animum implendi.

28 Sexta concluſio. Jurans ſe admiſſurum rem venialem animo implendi peccat venialiter defectu juſtitiæ, præter illud veniale propoſitum peccandi venialiter, & ita erit duplex veniale. Quia non gravis irreverentia Dei eſt; & quamvis teneatur hic reddere falſum id juramentum non implendo illud, non tenetur ad id ſub mortali, ſed ſub veniali. Ita *Sylveſt. verbo Juramentum 4. quæſt. 1. Cajet. utroque loco, Sotus concluſ. 5. Navar. num. 15. Covar. Valentia, Suarez n. 3. Sayro, Leonard. Azor.* allegati *nu. 26.* Quamvis *Catharinus* (ut refert *ibi Covarr.*) dicat ab hac opinione cavendum. Sed immeritò id ait.

29 Implere autem id juramentum rei venialis, eò quòd ſit juramento promiſſa, dicunt aliqui eſſe mortale. Ita *Hugo*, quem refert, & ſequitur *Angelus verbo Juramentum 5. nu. 2.* Et favet *Sotus libro 8. de juſt. quæſt. 1. art. 7. circa ſolutionem ad 2. verſic. Ex his ergo*, ubi ait ſervare juramentum rei mortalis reſpiciendo juramenti vinculum, ut, ſcilicet, illi reverentia ſervetur, eſſe blaſphemiam. Quia peccatum in Dei honorem offerretur. Quæ ratio ſimiliter in culpa veniali locum habet. At contradicunt *Sylv. & Navar. & Sayro num. præcedenti* relati. Ducuntur, quòd circumſtantia hæc id peccatum levius reddat. Cum executio illius venialis ex quadam juramenti reverentia proficiſcatur. Sed quamvis verum ſit eſſe ſolam culpam venialem velle ſic implere juramentum, non ex errore in fide, ſed ex quadam ignorantia vulgari; quia non eſt major culpa in illa quaſi continuatione, & repetitione prioris culpæ, quàm fuerit in juramento præſtando. At ea circumſtantia non extenuat, ſed aggravat priorem culpam. Quia pertinet ad ſuperſtitionem indebiti cultus Deo exhibiti. Item, quia volendo implere ratione prioris juramenti eſt quaſi confirmatio prioris voluntatis impiæ in ſic jurando. Ergo potiùs aggravatur culpa. Et ita utrumque docet *Suarez eodem cap. 19. num. 6. & 7.* Eſſet autem vera ſententia *Angeli, & Soti*, quando rem mortalem, aut venialem juramento promiſſam impleret jurans quaſi id Deo placeret. Quippe niſi ignorantia excuſaret, blaſphemum eſſet offerre Deo peccatum, quaſi ei placens.

30 Septima concluſio. Si quis juret ſe facturum aliquid contra conſilia Evangelica, ut ſe non futurum religioſum, non erogaturum eleemoſynam, quando ad eam non tenetur, eſt veniale defectu juſtitiæ. Quoniam materia hæc non eſt apta juramenti; & eſt levis irreverentia uti divino teſtimonio ad obligandum ſe ad non ſervanda conſilia; cum Deus ea non præceperit. Ita docent *Cajetanus utroque loco, Sotus concluſ. 5. Navarr. num. 16. Valentia, & Azor.* allegati *nu. 26. Idem Cajet. 2. 2. qu. 89. art. 7. circa ſolutionem ad 2. Armilla verbo Juramentum, num. 15. Suarez eodem lib. 3. c. 18. num. 6. Sayro in clavi regia, lib. 5. cap. 4. num. 36. Leonard. lib. 2. de juſt. c. 42. dub. 3. num. 17.* Quamvis contrarium doceant dicentes eſſe mortale *Abulenſ. cap. 2. Matth. quæſt. 301. Angelus verbo Juramentum 5. n. 3.* Quod etiam approbat *Sylveſt. verb. Juramentum 2. quæſt. 7.* quando res illa contra conſilia eſſet gravis, ut non ingredi religionem. Sed communis, & vera ſententia eſt, eſſe ſolam culpam venialem.

31 Octava concluſio. Jurare rem indifferentem eſt veniale defectu juſtitiæ. Quòd res indifferens non ſit apta juramenti materia. *Armilla verbo, Perjurium, num. 3. Sotus libr. 8. de juſtit. quæſt. 2. artic. 3. concluſione 5. Sayro eodem capit. 4. numero 36.*

32 Ex his deducitur, minus malum eſſe jurare quempiam ſe facturum rem venialem, aut indifferentem, aut contra conſilia, animo exequendi, quàm abſque eo animo. Quòd in priori caſu ſit ſolùm veniale. (Ut dixi *quadruplici num. præcedenti.*) At in poſteriori eſt perjurium mortale. Ut *nu. 16.* dixi. At minus malum eſt jurare rem mortalem animo non exequendi, quàm animo exequendi. Quia (ut *nu. 27.* diximus in priori eventu eſt unica lethalis culpa, in poſteriori autem duplex.

33 Nona concluſio. Defectus juſtitiæ non in ſolo juramento promiſſorio reperitur, ſed etiam in aſſertorio. Quare juxta aliquorum ſententiam, quoties quis juramento aſſertorio affirmat rem, in cujus aſſertione eſt culpa lethalis commiſſa; tunc eam aſſerendo eſt, præter illam culpam lethalem aſſertionis, alia culpa lethalis juramenti defectu juſtitiæ. Et ſi in aſſertione committitur culpa venialis, eſt alia venialis ratione juramenti. Sicut in juramento promiſſorio contingere diximus. Ut ſi quis abſque juſta cauſa occultam gravem proximi infamiam detegat, cive mortalem contumeliam dicat, id juramento aſſerens: aut jurejurando proprium mortale crimen cum illius jactantia, aut delectatione referat: ultra peccatum lethale detractionis, contumeliæ, jactantiæ, delectationis, eſt mortale id juramentum defectu juſtitiæ, quale eſt promiſſorium rei iniquæ mortalis juramentum. Ducuntur, quod gravem injuriam hic Deo inferat afferendo eum in teſtem ſuæ malitiæ, & fractionis divinæ legis, Secundò, quia *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 3. ad 2. & ibi Cajet. ſtatim in principio, Valentia 2. 2. diſp. 6. qu. 7. puncto 3. col. 5. verſic. Similiter juſtitia*, dicunt defectum juris comitis reperiri quoque in juramento aſſertorio, non ex parte rei juratæ, ſed ex parte cauſæ jurandi. Et clariùs *Abulenſis c. 29. Exodi q. 8. paulò poſt medium*, ubi ait comitem juſtitiæ deſiderari quoque in juramento aſſertorio, nempe, ut juſtum ſit, quod juratur. Unde ait juramentum, quo crimen proximi occultum detegitur abſque juſta cauſa, eſſe illicitum defectu juſtitiæ. Et clariùs *Sotus lib. 8. de juſt. q. 1. art. 3. col. 2. verſic. De ſecundo autem, & Aragon. 2. 2. q. 89. art. 3. paulò poſt principium, in expoſitione ſecundi comitis, Petrus de Ledeſma 2. tomo ſumm. tract. 11. c. 2. dub. 4. Toledo lib. 4. ſum. c. 21. num. 10. in fine*, ubi ajunt ad juramenti aſſertorii honeſtatem exigi comitem juſtitiæ, nec hunc ſolùm attendi ex parte rei juratæ, ſed etiam ex parte cauſæ jurandi, ac proinde injuſtum eſſe juramentum, quoties illo detegitur injuſtè crimen proximi. Addûntque *Sotus, & Petrus à Ledeſma*, non minùs eſſe injuſtum hoc juramentum, quàm cum res injuſta facienda promittitur juramento. Et *Toledo cap. 21. num. 11.* hoc peccatum eſſe mortale, quando aſſertio jurata eſt mortalis, & veniale, quando eſt venialis. Verùm quamvis fatear eum juſtitiæ comitem eſſe quoque neceſſarium in juramento aſſertorio, ut prædicti Doctores aſſerunt. Et ultra illos tenent etiam *Sayro in clavi regia, lib. 5. cap. 4. num. 4. Suarez tomo 2. de religione, tractatu de juramento, lib. 1. cap. 3. num. 6. & lib. 3. cap. 2. num. 5. & cap. 12. n. 7. & 8.* At optimè addit hoc *num. 7. & 8.* eam malitiam ſuperadditam contra juramenti juſtè emittendi religionem eſſe regulariter venialem, etſi aliunde in aſſertione peccetur mortaliter. Quòd hic defectus non evacuet directè finem juramenti, nec faciat Deum teſtem mendacii, ſed rei pravæ, & indecentis; quod per ſe non eſt gravis injuria. Item, quia conſiderata præcisè juramenti ratione, quæ eſt teſtificatio veritatis, videtur illi accidentarium narrari veritatem peccando, aut non peccando. Quare in hoc ſolo caſu concludit eſſe mortale, quando juramentum aſſumitur, ut inſtrumentum illus peccati, ideſt, ut augeatur, & probabilior fiat infàmia gravis proximi eo juramento dicta. Quia eſt gravis injuria ita aſſumi nomen Dei, ultra mortalem infamiæ culpam.

34 Hinc deducitur, aliquando in juramento de futuro emiſſo abſque animo implendi, reperiri quoque ultra id perjurium, aliud peccatum mortale defectum comitis juſtitiæ, quando nimirum, in aſſertione illius rei juratæ eſt peccatum mortale aliud, & adducitur juramentum, ut id ſecurius, & probabilius reddatur. Ut ſi quis alium afficiat contumelia mortali, jurans ei fore, ut eum fuſtibus cædat, abſque animo implendi, quia ultra perjurium, & contumeliam, aſſumitur nomen Dei, ut inſtrumentum illius rei iniquæ; & ita erit diſtincta malitia mortalis contra religionem; juxta dicta *nu. præced.*

35 Ultima concluſio. Juramentum, cui deficit tertius comes, nempe, judicium, quod attinet ad neceſſariam jurandi cauſam, & debitam reverentiam, eſt ſola venialis culpa. Quia non eſt gravis hæc irreverentia, ſi quidem ſolius vanitatis, & ſuperfluitatis peccatum eſt. Ita *Suarez eodem libro 3. c. 12. num. 3. Sayro eodem cap. num. 32. Leonardus eodem dubio 3. num. 17. D. Antoninus 2. p. tit. 10. cap. 7. §. 1. Angelus verbo, Juramentum 3. num. 7. Sylveſt. verbo Juramentum 2. qu. 8. Navarr. ſumma cap. 12. nu. 3.* & omnes. Si autem deſit judicium ex parte inquiſitionis neceſſariæ ad perpendendum, an verum ſit, nec ne, id quod juratur, qualis culpa, ſit diximus *n. 14. & 15.* & quando id ex prava conſuetudine procedit, dicemus *capite ſequenti.*

36 Demum tria obſervanda ſunt. Primum eſt, non eſſe neceſſarium diſtinctè fateri; quoties quis cum mendacio, & quoties cum dubio, & quoties de futuro cum animo non implendi jurarit: ſed ſatis eſſe fateri, toties ſe falſum juraſſe. Quia hæc omnia ſunt juramenta mendacia ejuſdem rationis. Ut ex dictis *numero 8. 16. & 17.* conſtat. Sed oportet de his diſtinctè, & ſeorſum interrogare pœnitentes. Quia rari erunt, qui hæc juramenta conjungere ſciant.

37 Secundum eſt. Etſi multi graves Auctores, quos refert *Azor. tomo 1. lib. 11. inſtitut. moral. cap. 12. quæſt. 6.* cenſeant homicidium eſſe gravius perjurio. Quòd illud ſit contra juſtitiam; hoc verò contra religionem. Et ultra eos id tenent

tenent re late diſputata *eo lib. 3. cap. 3. numer. 12. Leonardus lib. 1. de juſt. cap. 41. dub. 14. num. 75.* At probabilior ſententia habet eſſe perjurium gravius homicidio, & aliis peccatis, quæ in proximum committuntur. Quippe perjurium tendit directè contra divinum honorem. Atque ita tenent *D. Thom. quodlib. 1. art. 18. Abulenſis cap. 5. Matth. qu. 302. & ſequenti, Sotus lib. 8. de juſt. q. 2. art. 3.* & alii, quos refert, & ſequitur *Azor. ea, qu. 6. Sayro in clavi regia, lib. 5. cap. 4. à numer. 9.* Imò peccare magis perjurium, quàm parricidam, ait *Metina libro 1. ſumma cap. 14. §. 5. fol. 85.* Quod non credo, & meritò ait *Suarez eodem cap. 3. num. 10.* eſſe incredibile.

38 Ultimum eſt. Pejus eſt jurare verum per falſos deos, quàm mendaciter per verum Deum. Quia illud pertinet ad idololatriam, & blaſphemiam, quæ pejor perjurio eſt, *teſte D. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 3. ad 2.* & ita ſuſtinent *Sotus lib. 8. de juſtit. q. 2. art. 3. concluſione prima, Covarr. de pactis 1. p. §. 1. nu. 10.* & alii, quos referunt, & ſequuntur *Suarez eodem c. 3. num. 6. & tomo 1. de religione tract. 3. de irreligioſitate, lib. 1. cap. 6. num. 15. Sayro eodem cap. 3. num. 18. Azor. tomo 1. inſtitutionum moralium, lib. 11. c. 12. quæſt. 12.* Quare *D. Auguſt. epiſt. 154.* & refertur *c. Movet 22. qu. 1.* ſignificans oppoſitum intelligitur, (ut benè explicat *Azor. ea. quæſt. 12.*) quando Chriſtianus jurat per falſos deos, qui eos falſos exiſtimat, ſolo decipiendi animo, is enim ſi fidem non ſervet, peccat decipiendo; at non eſt perjurus. At jurans falſum eſt perjurus, & ſic graviùs peccat. Vel ſecundò dic cum *Soto*, intelligi pejus eſſe, non abſolutè, ſed in ratione perjurii. Nam jurare falſum per verum Deum eſt propriè perjurium; at per falſos deos eſt ſecundùm quid; *teſte D. Thom. 2. 2. qu. 98. art. 1. ad 2.*

CAPUT V.

De conſuetudine jurandi, quando in ſtatu peccati mortalis conſtituat, & efficiat, ut juramenta indeliberata ſint mortalia.

SUMMARIUM.

Quotuplex quæſtio diſputanda ſit? num. 1.
Conſuetudo quotuplex ſit? num. 2.
Quid ſit eſſe in ſtatu peccati mortalis? num. 3.
An conſuetudo ſit peculiare peccatum diſtinctum ab actibus malis? numero 4.
An omiſſio illius extirpandæ poſſit eſſe lethalis? num. 5.
Quando conſuetudo jurandi conſtituat in peccato mortali, & ſub eo obliget ad eam extirpandam? Refertur triplex ſententia, num. 6. 7. & 8.
Explicatur ſententia Auctoris, à num. 9. uſque ad 15.
Quando affectus ea conſuetudine non ſit abſolvendus? nu. 16.
An teneatur acceptare aliquid implendum in pœnam, ſi reinciderit? num. 17.
An reincidenti ſit differenda abſolutio? num. 18.
Poſt num. 18. invenies alia ſummaria, quæ deſiderantur.

1 CUm hæc juramenta indeliberata ſolùm poſſint culpæ imputari ratione vitioſæ jurandi conſuetudinis, in qua ſola ſunt voluntaria; culpa in illis reperta pendet ex culpa conſuetudinis illius. Et ideò duplex eſt diſputanda quæſtio. Prior eſt de ipſius conſuetudinis culpa. Poſterior de culpa ipſorum.

2 Quæſtio prior. Quando conſuetudo jurandi conſtituat ea affectum in ſtatu lethalis culpæ; ac proinde omiſſio ejus evellendæ ſit mortalis? Præmittendum eſt conſuetudinem jurandi eſſe quadruplicem. Prima eſt, paſſim jurandi, cum debita tamen advertentia, ut juretur verum, ſive conjungatur illi conſuetudo mentiendi abſque juramento, ſive non. Secunda eſt, jurandi falſum advertenter. Tertia, advertendo ad juramentum, non tamen ad veritatem, aut falſitatem rei juratæ. Ultima quando ad neutrum advertitur.

3 Secundò præmittendum eſt, ſtatum peccati mortalis dici tripliciter, nempe, vel dum quis eſt in actuali peccato mortali, vel habituali; eò quòd mortalis admiſſi nondum pœnitentiam egerit; vel quando verſatur in proxima, & morali peccandi mortaliter occaſione. Ut ſi domi retineat concubinam, vel cum commodè reſtituere poſſit, id differat. Ita *Sotus de juram. abuſu cap. 12. & lib. 8. de juſt. qu. 2. art. 3. poſt 7. concluſ. verſ. At fortaſſe, Petrus de Ledeſma 2. tomo ſumma, tract. 11. cap. .... dubio 1. in ſolutione ad confirmationem ſecundi argumenti, Suarez tomo 2. de relig. tract. de juram. lib. 3. cap. 6. num. 3.* qui latiùs, & optimè hoc explicat, aitque ſtatum peccati mortalis hoc tertio modo dictum, eſſe medium inter duos priores. Quia ad hunc non eſt opus tunc actu peccare, nec ſat eſt permanere in mortali admiſſo, ſed ultra perſeverantiam in eo addit deordinationem ejus ſtatus, ita ut quoties homo ſe in eo eſſe advertit, teneatur ab eo recedere; unde eſt quaſi continuum peccatum externum, diciturque ſtatus peccati, quia ex vi illius ſemper actu peccat exiſtens in illo, ſolumque interdum non peccat, quòd ad illum non advertat. Et de hoc tertio ſtatus modo eſt præſens quæſtio, an conſuetudo jurandi in illo conſtituat. Nam ſi loquamur de ſtatu peccati mortalis duplici priori modo, nil peculiare eſt de hac conſuetudine; cum id aliis peccatis mortalibus nondum pœnitentia deletis commune ſit.

4 Tertiò præmittendum eſt, ipſam jurandi conſuetudinem non eſſe per ſe peccatum diſtinctum ab ipſis jurandi actibus, ex quibus coaleſcit. Quia ſi loquamur de ipſa conſuetudine formaliter, non eſt diſtinctum peccatum ab ipſis actibus, eſt enim ipſimet actus frequenter repetiti; *teſte Ariſtot. 2. Ethicorum.* Si verò loquamur de conſuetudine, ideſt, de effectu ipſius, qui eſt quidam jurandi habitus ex ipſa productus, quamvis hic ſit vitioſus, eò quòd ad malum inclinat, non tamen poteſt eſſe peccatum. Quòd hoc in ſolo actu, ejuſque omiſſione reperiri poſſit. Ita docent *Sotus lib. 8. de juſt. qu. 2. art. 3. concluſ. 7. de jurament. abuſu c. 12. Metina lib. 1. ſumm. c. 14. §. 4. ad finem, Aragon. 2. 2. qu. 89. art. 3. dubio ultimo, concluſ. 2. Azor. tomo 1. inſtit. moral. lib. 11. cap. 3. q. 3. Petrus de Ledeſma 2. tomo ſumma, tract. 11. c. 2. dub. 2. in ſolutione confirmationis ad 2. argum. Suarez eodem lib. 3. c. 6. n. 1. Vega 2. tomo ſumm. cap. 16. caſu 15.*

5 Quamvis autem ea prava conſuetudo non ſit in ſe peccatum, & omiſſio ejus extirpandæ poteſt eſſe culpa lethalis, ratione periculi moralis, & proximi, cui exponit illa affectum incidendi in juramenta mortalia, & ſic poteſt illum conſtituere in ſtatu peccati mortalis.

6 His præmiſſis, difficultas hujus quæſtionis eò pertinet, ut explicetur, quando jurandi conſuetudo dicatur proxima, & moralis occaſio incidendi in juramenta mortalia, ac proinde conſtituat ea affectum in ſtatu peccati mortalis, atque omiſſio illius extirpandæ ſit lethalis. Qua in re variæ ſunt ſententiæ. Prima ait, quamcumque jurandi conſuetudinem eſſe hujuſmodi, quamvis illa affectus non ſoleat mentiri. Hanc cum ejus ratione tradit *Sotus de cavendo juramentorum abuſu c. 12.* his verbis: *Quamvis propoſitum cavendi à multiloquio, & ab aliis venialibus culpis non ſit ad ſalutem neceſſarium, tamen propoſitum cavendi ab aſſuetudine jurandi illi etiam neceſſarium eſt, qui non eſt vitio mentiendi corruptus. Nam ſicut multiloquio periculum conflatur mentiendi venialiter; ita in frequentatione jurandi periculum exiſtit mentiendi cum juramento; quod ſemper eſt mortale. At qui amat periculum, peribit in illo.* Idem videtur expreſsè tenere *Sayro in clavi regia lib. 5. c. 5. n. 8.* ubi abſolutè docet habentes conſuetudinem jurandi non eſſe abſolvendos, tamquam conſtitutos in peccato mortali, niſi firmiter eam extirpare proponant.

7 Secunda ſententia ait hujuſmodi eſſe conſuetudinem jurandi conjunctam conſuetudini mentiendi abſque juramento; & ita quamvis ſic aſſuetus curam habeat cavendi juramenti falſi, ait eum eſſe in ſtatu peccati lethalis, dum non curat conſuetudinem hanc evellere. Quod quantumvis curet cavere mendax juramentum, eo conſuetudo, & jurandi, & mentiendi abſque juramento, conſtituet illum in morali, ac proximo periculo conjungendi mendacia ſolita cum juramento. Sic *Valentia 2. 2. diſp. 6. quæſt. 7. puncto 3. columna antepenult. verſic. Reſpondeo dijudicandum, & columna penult. verſic. Ex alia verò parte, juncto verſic. præcedenti, Petrus de Ledeſma 2. tomo ſumma, tractatu 11. c. 5. dub. 5. dicto 2.* Additque *Valentia* etſi ad utrumque aſſuetus fortè non advertat ad perjurium, imputari ei illud ad culpam mortalem, ratione conſuetudinis prædictæ. Nec obſtat, inquit, eam conſuetudinem jurandi ſine neceſſitate eſſe ſolùm venialem, & eadem ſola culpa affici conſuetudinem mendacii abſque juramento. Quia per accidens ſe habet ad id perjurium indeliberatum ex ea conſuetudine ſecutum, ut conſuetudo ſit ſecundùm ſe venialis, nec enim eſt cauſa ejus, quatenus ſecundùm ſe eſt venialis, ſed quatenus eſt conſuetudo jurandi plenè voluntaria, unde ſi effectus ex illa ut plenè voluntaria ſecutus ſit ex genere ſuo mortalis, quale eſt perjurium, erit mortalis; quandoquidem eſt voluntarius in cauſa perfectè voluntaria, & conſequenter ex hac parte eſt mortalis omiſſio evellendæ ejus conſuetudinis. Imò idem ait *Petrus de Ledeſma ibidem* de juramento vero dicto inadvertenter, an res jurata ſit vera.

8 Tertia ſententia ait, hujuſmodi conſuetudinem eſſe; quando eſt jurandi, advertendo ad juramentum, non tamen advertendo ad veritatem, vel falſitatem rei juratæ, ſecùs autem, quando ad neutrum advertitur, ſed emiſſio juramenti plenam rationis advertentiam antevertit. Quòd non ſit in hominis poteſtate motus primò primos coercere, nec teneatur ſub mortali ad ſecundò primos coercendos, ac proinde id juramentum ex motu primo conſurgens nulli imputabitur culpæ; quòd ſi ex ſecundo primò, ſoli veniali. Ita tradit *Azor. tomo 1. inſtitut. moral. l. 11. capit. 3. quæſt. 3.*

9 Prima tamen concluſio ſit. Conſuetudo jurandi cum advertentia debita ad rei juratæ veritatem non conſtituit in ſtatu peccati mortalis, nec omiſſio ejus extirpandæ eſt lethalis. Hæc eſt contra primam ſententiam *num. 6.* relatam. Probatur, quia, ut optimè ajunt *Scotus 3. d. 39. quæſt. unica, art. 1. paulò ante verſ. Videtur ergo, & ibi Gabriel. quæſt. 2. art. 1. notabili 2. Sayro in clavi regia l. 5. c. 5. num. 7.* cum habitus totam ſuam malitiam deſumat ex actibus, ex quibus generatur, nequit graviorem habere, quàm ipſi actus. At actus jurandi, ex quibus hæc conſuetudo conſurgit, ſunt veniales, cum illis ſolus judicii comes, quo ad neceſſitatem, & reverentiam, deficiat. Ergo ea conſuetudo venialis erit, ac in

in ſolo ſtatu veniali conſtituet. Secundo, quia cum adſit debita verè jurandi cura, ea non conſtituit in morali, ac proximo pejerandi periculo, ſed in ſolo jurandi abſque neceſſitate, & reverentia; quod veniale eſt. At periculum proximum incidendi in venialia, ſub ſolo veniali cavendum eſt, & in ſolo veniali ſtatu conſtituit. Et confirmatur, quia etſi quandoque ea conſuetudo præcipitat ad juramentum indeliberatum, & abſque plena veritatis advertentia, imò, & ipſius juramenti, non cenſebitur cauſa moralis ejus inadvertentiæ, cum potiùs ſit conſuetudo advertendi; atque adeò ea inadvertentia non reputabitur voluntaria in ſua cauſa, ſed naturalis, qualis ſolet eſſe in non aſſuetis ad jurandum. Tandem, quia etſi aliquando pertrahat ad perjurium mortale, non dicitur proximum, & morale pejerandi periculum. Quippe ut probavi *libro 1. hujus tract. cap. 8. n. 1.* hoc eſt, quod vel ex ſuo genere eſt tale, ut frequenter inducat homines ſimilis conditionis ad tale peccatum; vel experientia conſtet in hoc homine habere frequenter talem effectum. At hujuſmodi conſuetudo neutrius generis eſt. Nec enim curam habentes, in juramenti reverentiam, cavendæ ejus falſitatis, ſolent frequenter pejerare, etſi juramentis aſſueti ſint: nec id experimento conſtat. Et hanc tenent *Metina l. 1. ſummæ c. 14. §. 4. ad finem, Ludovicus Lopez 1. p. inſtructorii conſcientiæ cap. 25. columna antepenultima, verſic. Poſtremò dicimus, & cap. 42. columna 3. verſic. Sed ne alioquin, Suarez tomo 2. de religione, tractatu de juramento, lib. 3. c. 6. num. 4. & 5. Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractatu 11. cap. 2. dubio 1. in ſolutione confirmationis ſecundi argumenti, & cap. 5. dubio 4. paulò poſt principium, & dubio 5. dicto ultimo, Valentia 2. 2. diſput. 6. quæſt. 7. puncto 3. column. antepenultima, verſic. Reſpondeo dijudicandum, Manuel. 1. tomo ſummæ, in 2. editione capit. 192. numer. 11. Vega 2. tomo ſummæ cap. 16. caſu* 14.

10 Secunda concluſio. Idem prorſus eſt dicendum, quando conſuetudini jurandi advertenter, & cavendo perjuria, adjungitur conſuetudo mentiendi abſque juramento. Hæc eſt contra ſecundam ſententiam *numero ſeptimo* relatam. Ducor, quòd militent omnes rationes adductæ *numero præced.* cum utraque conſuetudo ſit ſolùm venialis, nec frequenter pertrahat ad juramentum mortale. Quòd ſi aliquando contingat ſic aſſuetum prorumpere ex illa conſuetudine in juramentum abſque advertententia veritatis, cum id non ſit in ſe voluntarium, ſed in ſua cauſa, nequit gravior culpa eſſe, quàm illa, quæ quidem venialis eſt. Hanc videtur tenere *Suar. eod. lib. 3. c. 6. nu. 2.* nam tractans de habente conſuetudinem jurandi cum debita advertentia ad vitandum perjurium, ait parum referre ad præſens, ſi aſſuetus ſic jurare ſoleat abſque juramento mentiri.

11 Tertia concluſio. Quando eſt conſuetudo jurandi advertenter, & indiſcriminatim, ſive verum, ſive falſum, conſtituit ea affectum in ſtatu peccati mortalis, & omiſſio ejus extirpandæ eſt lethalis. Quòd pertrahat ad frequentiſſima mortalia perjuria, & ad juramenta inadvertenter prolata. Et ita docent *Suarez eodem cap. 6. num. 6. & 8. Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractatu 11. cap. 5. dubio 4. paulò poſt principium, Valentia 2. 2. diſputat. 6. quæſt. 7. puncto 3. columna antepenultima, verſic. Reſpondeo, dijudicandum, & columna penultima, verſic. Utrum verò, Vega 2. tomo ſummæ cap. 16. caſu* 14.

12 Addit *Vega ibi* ſic aſſuetum peccare mortaliter, etſi verum juret. Quod cautè intelligendum eſt: ſi enim intelligit de juramento inadvertenter dicto, id verum eſt. Si autem advertenter verum juret, neutiquam peccabit mortaliter. Quia illi juramento ſolus judicii comes deeſt, quatenus claudit neceſſitatem & reverentiam, cujus defectus eſt ſola venialis culpa. Præterea, quia ea conſuetudo non inducit ad hunc actum, ſed tantùm ſe habet concomitanter cum illo; ergo non efficit, ut ſit mortalis. Quod docet *Suar. eo c. 6. nu. 6.*

13 Quarta concluſio. Quando eſt conſuetudo jurandi inadvertenter circa rei juratæ veritatem, conſtituit ſic aſſuetum in ſtatu peccati mortalis, & tenetur ſub lethali eam extirpare. Quia eum proximo, & morali perjuriorum periculo exponit. Cum enim non ſoleat advertere, an verum an falſum juret, ſæpè falſum inadvertenter jurabit. Quòd ſi id, quod ſic jurat, contingat eſſe verum, id caſu accidet, & præter jurantis opinionem: cum ille jurandi uſus ſit æquè veritati, ac falſitati expoſitus. Et ita docent *Aragon. 2. 2. quæſt. 89. art. 3. dubio ultimo, in 3. concluſione, Suarez eodem cap. 6. num. 9. Petrus de Ledeſma eodem cap. 5. dubio 4. paulò poſt principium, Azor. tomo 1. inſtit. moral. lib. 11. cap. 3. quæſt. 3.*

14 Ultima concluſio. Idem prorſus, quod in præcedenti concluſione, eſt dicendum, quando conſuetudo eſt jurandi abſque advertentia an juretur, necne. Hæc eſt contra tertiam ſententiam *nu. 8.* relatam. Quòd nil diſcriminis ſit inter inadvertentiam ad juramentum, & ad ipſius veritatem: cum utraque ſit æquè voluntaria in ſua cauſa, nempe, in conſuetudine jurandi inadvertenter: & utraque æquali periculo incidendi in perjuria exponat, & utrique caſui accidat veritas rei juratæ. Et ita *Suar. eod. lib. 3. c. 8. num. 1.* eſt apertè hujus ſententiæ, ubi ut imputentur culpæ mortali juramenta inadvertenter emiſſa, æquiparat conſuetudinem inadvertentiæ circa ipſa juramenta, & circa rei juratæ veritatem.

15 Hinc deducitur primò, jurantem ex conſuetudine, quam ſub mortali corrigere tenetur, nec curantem corrigere, peccare mortali omiſſionis peccato, & tenendo juramenta inadvertenter dicta procedentia ex ea conſuetudine eſſe in ſe mortalia, ut tenet ſententia referenda *num.* 24. eſt dicendum hoc peccatum eſſe peculiare ultra illa. Et ita docent *Valentia 2. 2. diſputatione 6. quæſt. 7. puncto 3. columna penultima, verſic. Sed advertendum, & Sayro in clavi regia, libro 5. cap. 5. num. 10. in fine*, qui tenent illam ſententiam.

16 Secundò deducitur, quando neganda ſit abſolutio affectis prædicta jurandi conſuetudine. Quod tantùm contingit, quando ea eſt juxta dicta, mortalis, nec eſt firmum ejus corrigendæ propoſitum: ſicut contingit in aliis peccatis mortalibus. Quod multò fortius eſt in hac conſuetudine obſervandum, eò quòd quaſi in alteram naturam tranſeat, & conſiſtat in peccato oris, quod faciliùs committitur, & difficiliùs evellitur. An exiſtente eo propoſito non eſt deneganda abſolutio, & circa illud eſt habenda fides ipſi pœnitenti, ſicùt in aliis, quæ pro ſe, & contra ſe dicit. Tenetur quoque, ut abſolutionis capax ſit, externas occaſiones, quæ morale, ac proximum illius conſuetudinis jurandi periculum illi afferunt, evitare, ſi id abſque magno incommodo poſſit. Sicut de aliis proximis peccandi occaſionibus tradunt Doctores communiter. Et hæc omnia docet *Suar. eodem lib. 3. cap. 8. num. ultim.* Et ſatis clarè indicant *Sotus lib. 8. de juſtitia q. 2. art. 3. poſt 7. concluſ. verſic. At fortaſſe, & de juramentorum abuſu c.* 12. tradens tunc ſtatum hujus peccati ceſſare, quoniam hic proponit firmiter emendam, & aufert occaſiones: *Et Valentia 2. 2. diſputatione 6. q. 7. puncto 3. columna penultima, verſic. Ab hoc tamen peccato, & Sayro in clavi regia lib. 5. c. 5. num. 10. in fine*, ubi docent ab hoc peccato tunc quempiam deſiſtere, quando dolet de peccatis, & de mala conſuetudine præterita, & proponit fore, ut ab illa deſiſtat: atque ita eadem pœnitentia liberari peccatis commiſſionis uſurpandi malè juramenta, quæ ex ea conſuetudine pullularunt, & peccato omiſſionis, in quo hærebat, quamdiu non curabat à ſe eam pravam conſuetudinem abolere.

17 Quòd ſi ſæpè propoſuit emendam, nec id fecit, dubium eſt, an teneatur pœnitens ad aliquam pœnam, vel remedium acceptanda judicio confeſſoris, qualia ſunt frequentiùs fateri, aliquam brevem orationem recitare, aliquam eleemoſynam largiri, pro ſingulis juramentis temerariis, aut alia hujuſmodi. Affirmat *Suarez eodem nu.* 8. nullamque rationem affert. At meliùs *Sotus de juramentorum abuſu c. 12.* abſolutè, & indiſtinctè ait non teneri in rigore pœnam aliquam acceptare, ſi in ea temeraria juramenta reinciderit, quamvis id conſilium ſaluberrimum ſit. Quia aliis peccatis id imponi nequit, nec jure aliquo probatur id ſpeciale eſſe in hac conſuetudine.

18 Tandem poteſt dubitari, an affecto hac prava mortali jurandi conſuetudine ſit abſolutio differenda. Quidam affirmant, quando ſæpè faſſus eam non corrigit, ſecùs quando bis, vel ter. Ita docent *Metina lib. 1. ſummæ c. 14. §. 4. Vega 2. tomo ſummæ c. 16. caſu 14. in fine, Ludovicus Lopez 1. part. inſtructorii conſcientiæ c. 25. columna. antepenultima, verſ. Poſtremò dicemus, Manuel. 1. tomo ſummæ, in 2. editione c. 192. nu. 11.* Atque id eſſe interdum ſaluberrimum conſilium tradent *Sayro in clavi regia, lib. 5. cap. 5. num. 8. Et Suarez eodem lib. 3. c. 8. in fine:* qui addit non eſſe in hoc ſcrupuloſè procedendum, nec enim oportet confeſſorem judicare fore, ut pœnitens non reincidat, ſed ſatis illi eſt, ut judicet in præſenti eum tal propoſito affectum eſſe, & facere, quod moraliter poteſt, ut efficax ſit. At in hoc eſt omninò dicendum, quod de habente blaſphemandi conſuetudinem diximus *libro præcedenti cap. 32. num. 45.* ubi etiam retulimus, quod circa hoc ſentit *Azor.* Imò mitiùs ſe debet in hoc habere confeſſarius, cum minùs iniqua ſit hæc conſuetudo, quàm blaſphemandi.

SUMMARIUM.

An juramenta indeliberata imputentur aſſueto jurare, qui conſuetudinem interrupit? num. 19.

An omnia juramenta profecta ex conſuetudine jurandi malè, ſint mortalia? nu. 20.

An differant jurantes ex conſuetudine, aut ſine illa, quando eorum juramentis adſunt tres comites, aut quando advertenter jurantibus deficit aliquis illorum? num. 21.

An juramentum indeliberatum habentis uſum jurandi, nec ab eo uſu procedens, ſit mortale? num. 22.

An ſatis ſit, ut imputetur culpæ id juramentum falſum, fore ut advertens ſic juraret? num. 23.

An juramenta indeliberata procedentia ex mortali malè jurandi uſu, ſint mortalia? Refertur quædam ſententia à num. 24. uſque ad 27.

Explicatur ſententia Auctoris, nu. 28. 29. & 30.

An ratione conſuetudinis conſurgat plena deliberatio breviori tempore, aut ratione veritatis valde patentis poſſint excuſari juramenta indeliberata? nu. 31.

In quo actu conſuetudinis cenſeatur illa inducta, ut ex tunc ſit obligatio ejus extirpandæ, & juramenta indeliberata cenſeantur culpabilia in illa? num. 32.

Quali-

Qualiter ea conſuetudo, & juramenta indeliberata inde ſecuta ſint fatenda? num. 33.

An lata excommunicatione in perjuria, iiſve reſervatis, claudantur indeliberata procedentia ex ea conſuetudine? numero 34.

19 QUæſtio poſterior. Quando juramenta incauta, ideſt abſque plena veritatis indagandæ deliberatione reddantur mortalia, ratione pravæ jurandi conſuetudinis, qualia non eſſent in carentibus ea conſuetudine? Qua in re præmiſſis tribus, quæ certa videntur, deſcendemus ad principalem difficultatem. Primum eſt. Qualiſcumque ſit conſuetudo, ſi ea interrumpatur per efficax emendæ propoſitum, (ſic enim interrumpi conſtat ex dictis *num. 16.*) non aliter imputabuntur culpæ juramenta deinceps inadvertenter emiſſa, habenti per dictam conſuetudinem, quàm illam non habenti. Quippe cum cauſa jam ſit interrupta, non cenſebuntur ea juramenta eſſe voluntaria in ea, ſed ea inadvertentia erit naturalis, qualis eſſe ſolet in carentibus ea conſuetudine: & quamvis in eam habente ſit frequentior hæc inadvertentia ex habitu priori relicto ex conſuetudine, reputabitur hic habitus quaſi naturalis, cum non ſit in hominis poteſtate illum ſtatim eradicare, ſed contrariis actibus, contrariaque conſuetudine eſt paulatim evellendus. Atque ita docent *Gabriel 3. d. 39. quæſt. 2. art. 2. concluſione 1. fratres Franciſcus de Victoria, & Didacus de Victoria ex ſacra Dominicanorum familia*, in quibuſdam propoſitionibus, quas typis mandarunt inter regulas Confraternitatis Nominis Jeſu, quas refert *Sotus de cavendo juramentorum abuſu c. 12. Ludovicus Lopez 1. part. inſtructorii conſcientiæ c. 42. columna 3. verſic. Quamquam communiter, Manuel. 1. tomo ſummæ, in 2. editione cap. 191. num. 12. Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractatu 11. c. 5. dubio 4. dicto 3. Suar. tomo 2. de religione, tractatu de juramento, lib. 3. c. 6. num. 8.* Et loquens de blaſphemandi conſuetudine docet idem *Toledo lib. 4. ſumm. c. 13. num. 7.* Intelligo autem de interruptione conſuetudinis, aut paſſim jurandi, aut jurandi abſque debita veritatis diſcuſſione. Quia utralibet conſuetudo interrumpatur, inadvertentia illa erit involuntaria; cum utramque ad ſtatum peccati mortalis neceſſariam eſſe conſtet ex dictis *nu. 9. &* 10. juncto *num. 13.*

20 Secundum eſt. Quamvis quidam, quos tacito nomine refert *Sotus libro 8. de juſtit. quæſt. 2. art. 3. paulò ante ſeptimam concluſionem*, aſſerant omnia juramenta, & vera, & falſa, profecta ex prava jurandi conſuetudine, eſſe lethalia; Quia eis nequit adeſſe tertius jurandi comes, qui eſt judicium, atque adeò ſi tunc juretur verum, id accidit materialiter, & præter jurantis intentionem. At certiſſimum reputo non omne id juramentum eſſe illicitum. Quia poteſt fieri, ut adſit triplex juramenti comes, & proinde id juramentum omni culpa careat: nec conſuetudo prava legitimam bene jurandi poteſtatem aufert. Quamobrem conſuetudo jurandi non mutat juramenti naturam, nec illud aggravat, aut reddit illicitum, niſi eatenus ſolùm, quatenus cum illa conjungitur defectus alicujus comitis juramenti: neque ſolius conſuetudinis eſt per ſe, & formaliter habenda ratio ad cognoſcendum illicitum juramentum, ſed defectus etiam illorum comitum. Atque ita tamquam certum docent *Sotus eo art. 3. concluſ. 7. & de juramentorum abuſu cap. 12. Valentia 2. 2. diſput. 6. quæſt. 7. punct. 3. column. antepenultima, verſicul. Ex his autem, Aragon. 2. 2. quæſt. 89. art. 3. dubio ultimo, concluſ. 2. Petrus de Ledeſma, 2. tomo ſummæ tractatu 11. cap. 2. dubio 2. in ſolutione confirmationis ſecundi argumenti, & cap. 5. dubio 4. dicto 1. Sayro in clavi regia, l. 5. c. 5. num. 8.*

21 Hinc deducitur nil diſcriminis eſſe inter jurantem ex prava conſuetudine, & abſque illa, quando nullus ex triplici juramenti comite deficit, ſed in utroque id erit licitum. Quod fatentur univerſi Doctores *numero præcedenti* allegati. Nec etiam eſt inter eos diſcrimen, quando uterque advertit ſe jurare, & veritatem, aut falſitatem rei juratæ: at deficit aliquis juramenti comes. Sed uterque peccabit mortaliter, ſi veritas, aut juſtitia in materia gravi deficiant, & ſolùm venialiter, deficientibus ſolis juſtitia in re veniali, neceſſitate, & reverentia. Quia cum hoc juramentum non procedat ex illa jurandi conſuetudine, illa nec accuſat, nec excuſat, ſed ſolùm per accidens, & concomitanter ſe habet ad id juramentum. Quare gravitas malitiæ illius in utroque eſt ſpectanda ex comite, qui in eo juramento deficit. Et ita docent *Sotus eo art. 3. concluſione 7. Aragon. ea concluſione 2. Petrus de Ledeſm. utroque loco* allegato *num. præced.*

22 Ultimum eſt. Poteſt contingere, ut juramentum inadvertenter dictum in habente pravam jurandi conſuetudinem, non ex illa proficiſcatur, ſed aut ex repentino iræ impetu, aut ex nimia ad rem affectione, ut contingere ſolet in non aſſueto juramentis: ac proinde tunc nec conſuetudo accuſabit, nec excuſabit, ſed idem erit de eo dicendum, quod de juramento dicto inadvertenter à non habente conſuetudinem. Quia cum conſuetudo non ſit cauſa inadvertentiæ, non poteſt dici voluntaria in illa. Atque ita docent *Sotus eodem art. 3. concluſ. 7. & de juramentorum abuſu cap. 11. Alcozer in ſumm. c. 11. fol. 50. pag. 1. verſ. Jurar alguna coſa*, Suarez dicens eſſe certum *tomo 2. de religione, tractatu de juramento lib. 3. cap. 7. numer. 6. Petrus de Ledeſma eodem cap. 5. dubio quarto dicto primo, & dubio quinto, dicto ſecundo.*

23 Sed quidam culpam mortalem in hoc inveniunt, eò quòd ratione illius pravæ conſuetudinis ita affectus ſit, ut ſi adverteret id juramentum eſſe falſum, non deſiſteret ab illo. Atque ita videtur expreſsè tenere *Cajetanus 2. 2. qu. 98. art. 3. in fine*, hanc enim reddit rationem, cur inadvertentia non excuſet à perjurio aſſuetum jurare, quia, inquit, ſi adverteret, ſimiliter pejeraret. Et tenet expreſsè *Navarrus ſumma Latina, & Hiſpana cap. 12. nu. 6. Toledo l. 4. ſumm. c. 22. num. 8. in fine, Sayro in clavi regia l. 5. c. 4. n. 17.* Atque loquentes de blaſphemia docent idem *Cajet. ſumm. verbo Blaſphemia, & Navarr. ſumma in cap. 12. num.* 84. ubi dicunt blaſphemiam inadvertenter dictam excuſari à mortali, niſi non advertens ita diſpoſitus eſſet, ut advertendo ſimiliter blaſphemaret. Sed hanc doctrinam jure optimo reprobant alii. Quia cum ea diſpoſitio ſit ſolùm proclivitas ad peccandum, nec ſit actus, nequit eſſe peccatum. Et ut rectè ait *D. Auguſt. contra Semi-Pelagianos* non imputat Deus nobis, quod faceremus, ſi hoc, vel illud occurreret, ſed quod actu facimus. Sic *Sotus lib. 8. de juſtitia qu. 2. art. 3. in ſolutione ad 3. verſic. Unum autem, & de juramentorum abuſu c. 12. Manuel. 1. tomo ſummæ, in 2. editione c. 191. in fine, Valentia 2. 2. diſp. 6. qu. 7. puncto 3. paulò ante finem, Suarez eodem lib. 3. c. 7. nu. 5. Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tract. 11. c. 5. dubio 4. verſic. Lo tercero ſe prueva.*

24 Punctus autem difficultatis in eo verſatur, an juramenta hæc indeliberata ſint mortalia, quando procedunt tamquam à cauſa ex mala jurandi conſuetudine adhuc durante. Duplex eſt ſententia. Prior ait ea eſſe lethalia. Ducitur, quòd ſi ea juramenta ſint falſa, ſunt ex ſe lethalia, & ex ea ſola inadvertentia debent excuſari. At ea non excuſat, utpote quæ manat ex notabili non corrigendæ ejus conſuetudinis negligentia: & ideò eſt præviſa, & voluntaria in ſua cauſa. Sicque peccata commiſſa in ebrietate non liberantur culpa lethali, defectu liberi arbitrii, quando ante ebrietatem ſunt præviſa, nec curatum eſt ea vitare: eò quòd tunc ſint voluntaria in ſua cauſa. Quòd ſi ea juramenta ſint vera, probatur adhuc ea eſſe lethalia. Quia ad evadendam lethalem culpam, non ſatis eſt jurare, quod in ſe verum eſt, imò id nil prorſus ad rem confert, ſed oportet ut jurans prudenti diſcuſſione præmiſſa id verum exiſtimet. Ut diximus *c. præced. num. 10.* At hic inadvertenter jurans non diſcutit ſui juramenti veritatem, ſed per accidens omninò illi eſt, id eſſe verum. Quippe ille jurandi modus æquè expoſitus veritati, & falſitati eſt. Nec illa inadvertentia excuſat, ut probavi. Ergo hic æquè delinquit lethaliter, ac ſi inadvertenter juraret non perpendens, an id, quod jurat, ſit verum, necne. Inſuper id probatur ex *D. Auguſt. l. contra mendacium c. 15.* ubi ait ex jurandi conſuetudine incurri perjurium: & ex *D. Chryſoſt. homilia 24. ad populum*, ubi ait apertum eſſe, ut neceſſariò multum jurans incidat in perjurium, nec eſſe idoneam excuſationem cauſari conſuetudinem. Ex *D. Iſid. lib. 2. ſynon. c. 10.* ibi: *Aſſiduitas jurandi perjurium facit.* Et *lib. 2. de ſummo bono c. 31.* ibi: *Dum uſum jurandi facimus, perjurii crimen incurrimus.* Et ex *D. Bernardo lib. de modo benè vivendi, ſermone 32.* ibi: *Uſus jurandi ducit hominem ad perjurium.* Hujus ſententiæ ſunt *fratres Franciſcus de Victoria, & Didacus de Victoria* relati *num. 19. Alcozer ſumma c. 15. folio 50. pag. 1. verſ. Jurar alguna coſa: & pagina 2. verſic. Aſſi miſmo ſe note, Metina lib. 1. ſumm. c. 14. §. 4. ad finem, Azor. tomo 1. inſtitutionum moralium, libro 11. cap. 3. q. 3. Manuel. 1. tomo ſummæ, in 2. editione c. 192. num. 11. Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractatu 11. c. 5. dubio 4. dicto 2. & dub. 5. dict. 3. Ludovicus Lopez* allegans *fratrem Joannem de la Pena 1. p. inſtructorii conſcientiæ c. 42. col. 3. verſicul. Quamquam communiter, & duplici ſequenti.* Atque qaando juramentum inadvertenter dictum eſt falſum, tenet clarè *Gabriel 3. diſt. 39. quæſt. 2. art. 2. concluſione* 1. ubi dicens nullum perjurium ex indeliberatione procedens eſſe mortale, addit id intelligi de formali, & interpretativa: quia jurantes (inquit) in ſingulis ferè verbis ex peſſimo uſu, nullamque apponentes diligentiam ad eum revocandum, non ſemper excuſantur. Et *Cajet. 2. 2. q. 89. art. 3. in fine, & Navarr. ſumma Latina, & Hiſpana c. 12. num. 6. Valentia 2. 2. diſp. 6. quæſt. 7. puncto 3. paulo ante finem, verſ. Hinc ſequitur, Sayro in clavi regia, libr. 5. c. 5. num. 10.* Ubi dicunt eum, qui propter malum jurandi uſum tam vera, quàm falſa, jurat aliquando inadvertenter falſum, peccare mortaliter in hoc juramento. Idem tenet *Cajet. 2. 2. quæſt. 88. art. 1. in dubio, quod movet circa primam conditionem ad votum requiſitam, ante verſiculum, Ad objecta autem in oppoſitum*, ubi ait jurantem ex malo uſu reum eſſe perjurii in omni juramento falſo. Et in *ſumma, verbo Perjurium, c. 1. & ibi Armilla, numer. 1.* ubi dicunt inadvertentiam excuſare à perjurio, niſi actus redeat in naturam ſuæ formæ. At hoc contingit, quando quis non intendens jurare falſum, non apponit curam vitandi perjurii. Idem tenet *Angles Floribus 2. p. q. unica de voto art. 1. difficultate 3. concluſ. 2. verſic. Hinc qui jurandi*, ubi ait deliberationem virtualem, ſeu debitam procedentem ex malo jurandi uſu, ſatis eſſe ad mortale perjurium. Et loquens de blaſphemia tenet *Toledo libro 4. ſummæ cap. 13. num. 7.* dicitque eſſe blaſphemiam mortalem dictam inadvertenter ab aſſueto blaſphemare, nec curante conſuetudinem extirpare.

15 Qui-

25 Quidam ex his Auctoribus hoc extendunt, ut etiam procedat, quando conſuetudo eſt jurandi, advertendo ad rei juratæ veritatem, & cavendo perjurium, ſi ſimul cum conſuetudine jurandi ſit conſuetudo mentiendi abſque juramento. Ita tradunt *Valentia*, *& Petrus de Ledeſma* allegati *numer.* 7. innitentes ſententiæ, quam *ibi* ex ipſis retulimus.

26 Alii extendunt ad conſuetudinem jurandi indiſcriminatim, & inadvertenter, ſive verum, ſive falſum. Sic clarè ſentiunt *Cajet. Navarr. Valentia, Sayro*, quatenus, ut ex eis retuli *numero* 24. dicunt abſolutè habentem conſuetudinem jurandi, tam verè, quàm falsò, non excuſari à perjurio inadvertenter dicto.

27 Tandem alii limitant, ut intelligatur, quando conſuetudo inadvertentiæ in juramentis eſt non ſolùm circa rei juratæ veritatem, ſed etiam circa juramenti remiſſionem. Ita *Azor. citatus num.* 8. innixus ſententiæ, quam *ibi* ex ipſo retuli.

28 Poſterior ſententia, cui tamquam probabiliori accedo, ait juramenta prolata ſine advertentia formali, & per ſe ſufficienti ad peccatum mortale, non eſſe in ſe novum, ac proprium, & ſpeciale peccatum, propter ſolam jurandi conſuetudinem, qualiſcumque ſit illa, & nondum ſit retractata, ſed totam malitiam eſſe in ſua cauſa: atque ita, ut ſint peccata lethalia, exigi talem advertentiam, qualis eſt neceſſaria in homine non ſic ad jurandum aſſueto. Probatur, quia nullum poteſt eſſe peccatum, niſi ſit directè aut indirectè voluntarium. At & juramenta carentia deliberatione neceſſaria ad culpam contrahendam, neutro modo ſunt voluntaria. Ergo non ſunt peccata. Probatur minor. In primis non ſunt directè voluntaria, ut ex ſe patet, eò quòd illa inadvertentia fuit in ſe invincibilis, ut ſupponimus, nam ſi eſſet vincibilis, minimè excuſaret etiam juramentis non aſſuetum. At nec eſſe indirectè voluntaria, inde probatur. Quia indirectè volitum petit, ut quis poſſit, & teneatur vitare. At illo tempore, quo quis ex illa inadvertentia jurat, non poteſt vitare, cum illa inadvertentia ſit tunc invincibilis: ob conſuetudinem enim non eſt homo potentior ad advertendum, ſed æquè naturaliter rapitur, & æquè deeſt illi medium, quo tunc applicetur ad advertendum. Secundò, quia peccata ex ignorantia initio culpabili conſurgentia, & prævisa in ſua cauſa, ſicut contingit in peccatis ebriorum prævisis ab eis ante ebrietatem, nulla nova malitia afficiuntur, niſi juxta aliquos denominatione extrinſeca denominantur mala ex ſuæ cauſæ malitia, quæ denominatio dato id eſſe verum, alii enim eam negant, nil confert ad præſens, ſed tota malitia eſt in ſua cauſa, ut probavimus *l.* 1. *hujus tract. c.* 16. *nu.* 45. eò quòd eatenus malitiam participant, quatenus voluntaria ſunt, ac proinde cum in ſola ſua cauſa ſint voluntaria, ſolam illius malitiam participant. Sed hæc juramenta inadvertenter dicta ab aſſuetis jurare, non ſunt in ſe voluntaria, ſed in ſua cauſa, nempe, prava conſuetudine non eradicata, in qua prævidentur. Ergo nullam participant culpam propriam, & ſpecialem, ſed tota eſt in ſua cauſa. Et ideò pro hac ſententia ſunt *Divus Thomas* 2. 2. *quæſt.* 98. *art.* 3. *ad* 2. *Durandus* 3. *diſt.* 39. *quæſt.* 5. *num.* 6. *Ricardus ibi, art.* 3. *qu.* 2. *Paludanus q.* 2. *art.* 1. *Guillelmus Rubion q.* 2. *art.* 2. *concluſ.* 1. quatenus abſolutè tradunt juramenta inadvertenter prolata eſſe libera à culpa. Et *D. Bonaventura* 3. *d.* 39. *art.* 1. *quæſt.* 3. *num.* 21. *&* 24. quatenus ait eſſe veniale, quando quis ex prava conſuetudine jurat, non attendens, quem invocet, & ad quid. Et *Major. in* 3. *d.* 39. *quæſt.* 4. *ſtatim in principio, ut tertia concluſione*, ubi expreſsè ait nullum perjurium indeliberatum eſſe mortale. Et paulò inferiùs in ſecunda probatione ejus concluſionis, ubi eam probat, quia aliàs (inquit) homo affectus habitu jurandi, toties peccaret, quoties in actum perjurii ex habitu prorumperet. Quod cum inferat tamquam abſurdum, eſt manifeſtè in contraria ſententia. Et in ſolutione ad ſecundum contra tertiam concluſionem, ubi ait aſſuetum jurare poſſe non peccare, ut quando jurat ex motu, qui eſt primò primus, & venialiter, quando advertit ad id, quod jurat, ſed ex habitu retento jurandi ex actuali inadvertentia id juramento confirmat, quod non debet. Et *Scotus* 3. *diſt.* 39. *qu. unica, art.* 1. *in fine*, ubi hæc ait. *Non igitur diſtinguo quantum ad rationem peccati mortalis inter raritatem, & frequentiam perjurii, ſed inter deliberationem: & indeliberatio excuſat, ſive ſemel, ſive quotieſcumque.* Et *Angelus verbo Juramentum* 3. *numero* 10. ubi ait jurantem falſum ſine diſcretionis judicio, ut contingit in iis, qui paſſim jurant, non excuſari à mortali, juxta diſtinctionem ab ipſomet traditam *verbo Perjurium, ſtatim in principio*, ubi dicit id ſpectandum eſſe ex negligentia appoſita, quæ ſi ſit notabilis, eſſet mortale, ſi autem modica, veniale. Quæ etiam diſtinctio procedit in non habente conſuetudinem. (Ut diximus *capite præcedenti, numero decimo quarto*,) & ideò utrumque æquiparat. Et *D. Anton.* 2. *part. tit.* 10. *cap.* 7. §. 1. *immediatè ante verſic. Tribus autem modis*, ubi dicens non excuſari à mortali, qui ex lapſu linguæ, ſeu ex uſu pejerat, id limitat, dummodo advertat ſe jurare, & falſum eſſe, quod jurat. Et expreſſis verbis *Sotus de juramentorum abuſu cap.* 12. etſi enim videatur contrariæ ſententiæ, ſtatim poſt priorem confraternitatis regulam, quam *ibi* refert, ubi hæc ait, *Ubi non ſubita commotio tempus præripuit cogitandi, ſed ſola conſuetudo jurandi facit, ut negligenter, & per contemptum, inadvertenter quis pejeraverit, non excuſatur à mortali.* At benè inſpectus tenet apertè hanc ſententiam, quia clarè *ibi* loquitur de negligentia mortali: ut conſtat ex iis verbis, *negligenter, & per contemptum inadvertenter.* Et paulò inferiùs id magis explicat: nam reddens hujus rationem, hæc ait: *Negligentia illa, quæ ſecum affert contemptum, reducitur ad eamdem rationem, ac ſi conſultò fieret perjurium. Quemadmodum qui citra debitam cautelam ſagittam emittit in nemore, hominemque imprudens configit, nequaquam ab homicidio eſt immunis.* Ubi ſunt ponderanda, id verbum, *Contemptus*, & exemplum adhibitum, utraque enim negligentiam mortalem petunt. Et quod omnem prorſus dubitationem aufert, eſt corollarium, quod ſtatim infert. Nam regula, quam *ibi* refert, eſt, ut habens uſum jurandi peccet lethaliter, quoties inadvertenter jurat quamdiu non retractat conſuetudinem. Et ait *Sotus* hæc; *Hinc fit, non fuiſſe neceſſarium prædictæ regulæ hoc adhibere temperamentum, ut intelligatur quamdiu non non retractaverit homo conſuetudinem jurandi, quaſi idem numero opus in eo, qui conſuetus eſt, ſit peccatum, in eo verò minimè, qui non habet conſuetudinem. Id quod profectò falſum eſt: nam ex inadvertentia modo expoſito pejerare mortale crimen eſt, undecumque proveniat ſive à conſuetudine, ſive ab oſcitantia, & vecordia.* Et ſtatim poſt regulam poſteriorem, quam *ibi* refert, improbat idem temperamentum, & ſubdit hæc: *Crediderim nullum eſſe actum, qui adjuncta conſuetudine ſit peccatum mortale, & ea ſola ceſſante id deſinat eſſe mortale.* Idem etſi non ita apertè tenet *Sotus lib.* 8. *de juſtitia quæſt.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 7. *in fine*, ubi relata ſententia dicente omne juramentum indeliberatum procedens ex uſu jurandi eſſe mortale, tripliciter reprobat; & in tertia reprobatione ſic ait: *Deinde quia poteſt contingere in illo motus ſubreptitius, qui ſic naturaliter linguam rapiat, ut culpam, vel omnino tollat, vel venialem reddat. Adde quòd, ut ſupra monſtravimus, non quæcumque negligentia judicandi mortale peccatum eſt.* Et clariùs *in ſolutione ad* 3. ubi cum in *verſ. Hæc omnia*, dixiſſet hæc. *Si mala conſuetudo fuit in cauſa non plenè deliberandi, non ſemper excuſabitur à mortali*: Paulò inferiùs *in fine totius articuli* ſic ait: *Inadvertentia poſtquam tollit voluntarium, tollit peccatum: hoc autem verum eſt, quòd ſi conſuetudo me præcipitavit, ut non adverterem illa præcipitatio, & inadvertentia potuit eſſe peccatum, & fortè tanta potuit eſſe negligentia, ut eſſet mortale: ut ſupra dictum eſt.* Et expreſſè tenet *Suarez tomo* 2. *de religione, tractatu de juramento, lib.* 3. *cap.* 7. *à numer.* 3. *uſque ad* 8. Et loquens de blaſphemia tenet idem *ipſemet Suar. tomo* 1. *de religione, tractatu* 3. *lib.* 1. *de irreligioſitate cap.* 6. *numero* 2. Et *Sylveſter verbo Blaſphemia quæſt.* 4. dicit præſumptivè in ſolo foro externo blaſphemiam inadvertenter dictam eſſe mortalem in aſſueto blaſphemare. Et *Emmanuel Sà in ſumma, verbo Blaſphemia in fine*, ubi ait blaſphemiam inadvertenter dictam non eſſe mortalem, & ſubdit quoſdam oppoſitum aſſerere, quando ex malo uſu procedit, & id tantùm vocat non improbabile.

29 Quòd ſi petas, quando ea juramenta inadvertenter dicta afficiantur mortali ſuæ cauſæ malitia: perinde eſt ac quærere, quando iniqua jurandi conſuetudo ſit mortalis: quod explicuimus *nu.* 9. *& ſeq.* Quando enim illa eſt mortalis, juramenta erunt mortalia in ſua cauſa, venialia autem, quando illa eſt venialis.

30 Sunt tamen aliqua obſervanda circa hanc ſententiam. Primum eſt. Quoties peccatur in juramentis abſque advertentia emiſſis, nullum eſt diſcrimen, ſed æquè peccatur, ſive illa falſa, ſive vera ſint: & hoc, ſive ſequamur priorem, ſive poſteriorem ſententiam. Quòd tota hujus culpæ ratio conſiſtat in periculo pejerandi, cui jurans inadvertenter ſe exponit, & ita per accidens, & præter opinionem jurantis contingit id quandoque eſſe verum. Quippe modus jurandi inadvertenter eſt æquè expoſitus veritati, & falſitati. Et ita ſentiunt aliqui ex Doctores relatis *numero* 24. Ut *ibi* retuli. Et ultra eos tenet *Suarez tomo* 2. *de religione, tractatu de juramento, libro* 3. *capite* 8. *à numero primo uſque ad* 4.

51 Secundum eſt, ut optimè advertunt *Scotus* 2. *d.* 39. *q. unica, articul.* 1. *ad finem, & ibi Gabriel. quæſt.* 2. *artic.* 1. *notabili* 2. *Suarez eodem libro* 3. *cap.* 7. *numer.* 10. Sicut nimia benè operandi conſuetudo, ut diligendi Dei, erogandæ eleemoſynæ efficit, ut aſſuetus deliberet plenè circa hos actus, quando non aſſuetus non deliberaret, quia ratione uſus citiùs multò ille deliberat: ita circa peccata, & juramenta ſolet contingere, & proindè ſæpè erit juramentum indeliberatum in non aſſueto ad jurandum, quali in aſſueto non eſſet. Quod ſummopere advertendum eſt ad damnanda, vel excuſanda à ſpeciali culpa in ſe juramenta aſſuetorum jurando. Quippe ſi ratione uſus plenè citiùs deliberent circa juramentum, ſi id eſt verum, non erit mortale, nec in cauſa. Quia nulli jurans periculo ſe expoſuit, utpote qui plenè advertit ad rei juratæ veritatem: ſi autem ſit falſum, erit in ſe culpa perjurii advertenter commiſſi, quæ lethalis eſt. Præterea benè ait *Suarez ibidem*, ad diſcernendum hoc, eſſe quoque habendam perſonarum rationem; pollentes enim diſcretione, ac ingenio, deliberant plenè, citiùſque, quàm tardioris ingenii, & ruſtici: ut experientia ſatis docet. Inſuper habenda eſt veritatis juratæ ratio; ſunt enim veritates ita patentes, ut breviſſimè ſit deliberatio circa illas, & nulla

mora

mora ad deliberandum ſit opus. Ut ſi quis juret Deum eſſe, vel ſolem lucere. Ita *Sotus lib.* 8. *de juſtit. q.* 2. *artic.* 3. *concluſione* 7. *& de juramentorum abuſu cap.* 12. *Petrus de Ledeſma* 2. *tomo ſummæ, tractatu* 11. *capit.* 5. *dubio* 4. *dicto* 1. *& dubio* 5. *dicto* 2. *&* 3. *Metina lib.* 1. *ſummæ cap.* 14. §. 4. *ad finem, Ludovicus Lopez* 1. *p. inſtruct. conſcientiæ c.* 42. *col.* 3. *verſ. Quamquam communiter.*

32 Tertium eſt. Præceptum extirpandæ pravæ, ac mortalis juramentorum conſuetudinis, ex tunc incipit obligare, & ex tunc cenſentur juramenta indeliberata eſſe voluntaria in illa, quando ex variis jurandi actibus inadvertenter eò jurans progreſſus eſt, ut advertat illum pravum uſum eſſe ſibi proximam, & mortalem occaſionem incidendi in multa juramenta indeliberata. Quare actus jurandi præcedentes conſummationem conſuetudinis afferenti hanc mortalem occaſionem, nondum continent in virtute juramenta hæc indeliberata, nec adhuc eſt præceptum ſub mortali extirpandæ conſuetudinis; ſed illi actus virtute continent, qui conſuetudinem ita conſummant, ut ex tunc advertat jurans eam occaſionem, & ex tunc tenetur ſub mortali interrumpere. Quod docet *Suarez eodem lib.* 3. *cap.* 7. *numer.* 8. *&* 9. & in ſimili blaſphemandi conſuetudine probavi *l. præcedent. cap.* 32. *numero* 43.

33 Quartum eſt. Quando conſuetudo jurandi eſt mortalis, eſt explicanda in confeſſione, & tempus durationis illius, & quoties nova advertentia, & quaſi repetita voluntate jurans in ea permanere decreverit. Et quamvis conveniens ſit explicare juramenta indeliberata, id enim meliori conſcientiæ medendi modo deſerviet; at non eſt neceſſarium. Hæc docet *Suarez eodem lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 5. ubi hujus poſterioris partis rationem non aſſignat. Sed ejus ratio eſt, quia etſi quando actus externus eſt in ſe volitus, & proinde in ſe peccatum, ſit neceſſariò exprimendus in confeſſione, nec ſatis ſit internum voluntatis actum exprimere: at quando opus externum non eſt in ſe voluntarium, ſed in ſua ſola cauſa, ſatis eſt cauſam exprimere. Ut probavi *l.* 1. *hujus tractatus c.* 16. *num.* 46.

34 An verò lata excommunicatione in perjuria, eiſve reſervatis, comprehendantur hæc perjuria indeliberata, quæ ſunt voluntaria in ſola ſua cauſa, diximus *eod. c. in fine*, ubi tenuimus non comprehendi ſub ea excommunicatione, aut reſervatione, ſed illa dumtaxat, quæ propriè, & ſimpliciter talia dicuntur, eò quòd in ſe ipſis voluntaria ſunt.

CAPUT VI.

De malitia juramenti doloſi, quod abſque animo jurandi, aut ſe obligandi, aut verbis æquivocis, ſit præſtitum.

SUMMARIUM.

Quotupliciter juramentum doloſum præſtari poſſit? n. 1.
Quot difficultates tractandæ ſint? n. 2.
Qualis culpa ſit quando ſolus implendi animus deeſt? num. 3. *Et ibi, quid quando deeſt animus promittendi, aut ſe obligandi ex promiſſionis fidelitate;*
Qualis culpæ reus ſit, qui verum jurandi animum habet, non tamen animum ſe eo juramento obligandi? Referuntur variæ ſententiæ num. 4. 5. & 6.
Proponitur ſententia Auctoris, n. 7.
Quid, quando deeſt animus jurandi? Refertur duplex ſententia, num. 8. & 9.
Explicatur ſententia Auctoris. Et an liceat tunc verba juramenti materialiter capere? Et quando ita capi cenſeantur? n. 10.
Quid, ſi verba illa non uſurpentur communiter, ut juramentum? num. 11.
Poſt n. 11. *invenies ſummaria, quæ deſiderantur.*

1 PRæmittendum eſt, dupliciter poſſe juramentum doloſum præſtari. Priori modo, quando animus jurantis non concordat cum externis verbis: eò quòd verba externa jusjurandum contineant: at internus animus ſit aut non jurandi, aut non ſe obligandi, aut non complendi. Poſteriori modo, quando animus jurantis concordat cum externis verbis; at non concordat cum animo ejus, cui jusjurandum præſtatur. Quia, videlicet jurans concipit mente, & intelligit aliquid aliud, quàm is, cui juratur. Et ita decipit alium, vel artificio verborum, vel aliqua eorum amphibologia, vel aliqua conditione mente retenta, quam alteri non explicat. Et de neutrius juramenti obligatione diſceptatur in præſenti, ſed de ea tractabitur *capite decimo*. In præſenti autem de ſola utriuſque malitia, & falſitate tractatur.

2 Duplex ergo difficultas enodanda eſt. Prior, quale peccatum ſit, ſive in judicio, ſive extra illud, jurare abſque animo jurandi, aut ſe obligandi, aut implendi. Poſterior, quale peccatum ſit, uti verbis æquivocis.

3 Circa priorem difficultatem quadruplex poteſt eſſe defectus animi interni. Primus eſt, quando adeſt animus jurandi, & ſe obligandi, non tamen implendi. Secundus eſt, quando adeſt jurandi, at cum animo ex juramenti religione non ſe obligandi. Tertius eſt, quando adeſt animus non jurandi. Quartus eſt, quando deeſt animus non promittendi, aut non ſe obligandi, tamquam ex promiſſionis virtute. Et quidem, quando adeſt animus jurandi, & ſe obligandi, non tamen implendi, conſtat apud omnes, (ut diximus *cap.* 4. *numero* 16.) eſſe peccatum mortale perjurii. Quando verò deeſt animus non promittendi, aut non ſe obligandi ex ſola fidelitate promiſſionis, eſt tamen animus implendi, nulla eſt culpa, niſi juret ille ſe promittente, tunc enim erit mendacium: aut niſi ex contractu teneatur. Sic *Suarez tomo ſecundo de relig. tractatu de juramento, lib. tertio, cap.* 17. *num.* 10. *&* 11.

4 Quando autem adeſt animus jurandi, cum animo doloſo nullatenus ſe obligandi: *Abbas c. Siverò n.* 10. *de jurejur.* ait, quando id juramentum per injuriam extorquetur, forſan in viro perfecto eſſe venialem culpam: in imperfectis autem nullam. Nec egit de juramento non vi extorto. Alii autem excuſant à culpa coactum metu jurantem cum prædicta intentione, quando interiùs aliquam conditionem ſubintelligit, juxta quam id juramentum ſit verum. Ut ſi quis abſque animo ſe obligandi juret latroni ſe daturum ei nummos: intelligendo interiùs, *ſi debuero*. (De qua conditione dicemus *n.* 38.) Ita *Angelus verbo Juramentum* 5. *num.* 8. *caſu* 9. *Sylv. verbo Juramentum* 4. *qu.* 7. *dicto* 2. Qui addit eſſe mortale ſic jurare, nulla ſubintellecta conditione.

5 Alia communis ſententia eſt, in omni eventu eſſe mortale ſic jurare. Quia quoties deficit animus ſe obligandi, ex juramenti religione, eſt mendacium juramento firmatum. Cum ſit falſa vocis ſignificatio, utpote quæ veram ſe obligandi intentionem ſignificat, quæ tamen non eſt. Atque ita docent *Cajet.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *circa ſolutionem ad* 4. *col. penultima, verſic. Ad hoc dicitur, D. Anton.* 2. *p. tit.* 10. *c.* 6. *in caſu* 5. *in fine, Armilla verb. Juramentum, n.* 14. *& verbo Perjurium, num.* 3. *Tabiena verb. Jurare q.* 11. *nu.* 12. *Scotus tertio ſententiarum, diſtinct.* 39. *quæſt. unica, art.* 3. *Navarr. ſumma cap.* 12. *Latinè, & Hiſpanè num.* 14. *Covarr. de pactis* 1. *part.* §. 5. *num.* 3. *&* 4. *Decret.* 2. *p. c.* 3. §. 5. *num.* 3. *in fine, Alcozer ſumma cap.* 15. *folio* 51. *pag.* 1. *verſ. Jurar de hazer, Salzedo additione ad regulam* 384. *Bernardi Diaz, Aragon.* 2. 2. *quæſtione* 89. *articulo* 7. *circa ſolutionem ad* 4. *in* 4. *concluſione, Leonardus lib.* 2. *de juſtitia cap.* 42. *dubio* 8. *n.* 42. *& Suarez eodem c.* 17. *n.* 10. dicit eſſe gravem culpam.

6 Alii ſic diſtinguunt. Si rationabiliter exigatur juramentum, eſt culpa venialis: Quia jurans nulla cauſa juſta ductus decipit eum, cui juratur: at eſt ſola venialis culpa, eò quòd cum re vera maneat ille juramento obligatus, non eſt admodum pernicioſa proximo ea deceptio. At ſi irrationabiliter exigitur, & iurans ſine animo ſe obligandi non intendit ſignificare alteri velle ſe iuramento obligare, nil peccat. Si verò id ſignificare velit, eſt veniale mendacium. Ita docet *Valent.* 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 7. *puncto* 4. *col. penult. verſic. Poteſt autem dubitari.* Et quamvis ipſe non explicet, debet neceſſariò hoc intelligere, quando in eo iuramento adeſt animus implendæ rei iuramento promiſſæ. Quippe ſi is deeſſet, debet neceſſariò dicere eſſe mortale periurium. Cum ipſe ſentiat eſſe verum iuramentum, & tamquam tale obligare. Et eſt hoc probabile.

7 At cum nos teneamus id tunc non eſſe iuramentum, nec tamquam tale obligare: (ut dicemus *c.* 10. *n.* 3.) eò quòd ſit de intrinſeca veri iuramenti ratione promiſſorii inducere obligationem, cenſendum erit de hoc iuramento idem prorſus, quod ſtatim dicemus de iuramento emiſſo abſque iurandi animo. Quia eo ipſo quòd eſt animus non ſe obligandi, adeſt animus non verè, ſed ore tenus iurandi.

8 Tandem quando deficit animus iurandi, ſoliſque verbis externis profertur iuramentum: quidam ſentiunt in omni eventu eſſe mortale, ſive verum, ſive falſum ſit id, quod iuratur. Ducuntur, quia quando verum eſt id, quod iuratur, id iuramentum eſt pernicioſum in ordine ad Deum, cuius divino teſtimonio per id illuditur. Cum actu externo illud invocetur, interno autem eius invocationi diſſentiatur. Eſt etiam pernicioſum toti generi humano, tollens iuramento externo finem, qui eſt verè adhiberi in veritatis confirmationem: enervatque fidem iuramento externo habendam. Quando autem iuratur falſum, ſive in iuramento aſſertorio affirmando falſum, ſive in promiſſorio non habendo animum implendi, ultra prædictam rationem militat alia. Quippe exterior ille latriæ cultus, ad quem iuramentum pertinet, exhibetur materiæ indebitæ, nempe, rei falſæ. Sicut eſt mortale, fictè externum latriæ cultum idolis exhibere: utpote quæ indebita illius externi cultus materia ſunt. Atque ita docent *Cajet.* 2. 2. *q.* 89. *col. penult. verſ. Ad hoc dicitur, & col. ult. verſ. Ad evidentiam primi dubii, Armilla verbo, Perjurium n.* 3. *Covarr. de pactis* 1. *p.* §. 5. *num.* 2.

9 Alii autem concordant cum prædicta ſententia, quando id iuramentum eſt circa materiam falſam, ſive de præſenti, ſive de futuro: & ſimiliter, quando eſt circa materiam veram, at legitimè exigit iudex iuramentum, vel ratione contractus id legitimè petitur. Diſcordant verò, quando eſt circa materiam veram, nec iuramentum ſic legitimè petitur. Quod poteſt contingere ſcrupuloſo, qui cum iuramento verum aſſerat, aut promittat vero implendi animo, non vult ſcrupulo agitatus habere verum iurandi animum. Quare tunc dicunt eſſe culpam venialem ſic iurare. Quia eſt mendacium, cum ille ſe iurare proteſtetur, verè tamen non iurans. Non tamen eſt mortale. Quòd non